GVLIELMVS
ROVILLIVS
LECTORI S.

*

EN TIBI, STVdioſe lector, Iuris ciuilis epiſtolas, quas maximis laboribus Ioannes Raymũdus Iurecõſultus Toloſas haud in bonis literis ineruditus, noſtro ſuaſu, è toto penè iure ciuili, collegit: quò cõmunibus iuris candidatorum ſtudiis prodeſſet, illorumq; labores iuuaret. Quas nos, communi conſulentes utilitati, noſtris ſumptibus, his diuerſis typis excudimus: ut omnes conatus noſtros ad communem omniũ utilitatem retuliſſe, putes. Quare te rogamus, ut omnia boni æquiq; cõſulas: breui etenim alia tibi dabimus, quæ ad iuris ciuilis enucleationem maximè ſpectare uidebuntur. Vale.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

DOCTISSIMO, DECORI'QVE HVIVS AETATIS ERVDITORŨ, IACOBO CUIATIO IURISCONSULTO: IOANNES RAYMUNDUS S.

DOCTISSIMO,
DECORI'QVE HV-
IVS AETATIS ERVDI-
torũ, Iacobo Cuiatio Iu-
riſconſulto: Ioan-
nes Raymun-
dus S.

CVM DIV MVLtumq; *mecum ſæpe cogitaſſem, amice chariſſime, varia hodie inter homines ſcribendi genera eſſe, cui potius me dederem dudum clam me fuit. Alij autorum partes agunt, ſiquidem in nouis conficiendis delectantur. Quod genus, quàm ſit cæteris præſtantius, nulla profectò indiget demonſtratione. Alij verò interpretum officio funguntur: in enarrandis enim, & explicandis autoribus totis viribus incumbunt. Qui etſi de literis bene mereantur, cum alijs tamen non ſunt comparandi: quippe qui non poſſint ſine*

illis

illis conſiſtere. Amborum tamen ingenium, à permultis ludibrio haberi video: poſſem certè etiam noſtri temporis multos in exemplum ducere. Quid? taceámne de antiquis maximis ſcriptoribus? vt, Cicerone Oratorum principe, Ariſtotele philoſophorum, Virgilio poëtarum, & nonnullis alijs, quos ab aliquibus reprehenſos fuiſſe, non dubium eſt. Quid de interpretibus, vt placentino, Accurſio, Diomede, Seruio, Donato, dicam? quibus etiã ne condonatum quidem eſt. Supererat adhuc vnum ſcribendi genus, omnium, meo quidem iudicio, tutiſsimum: quod mihi ſemper perplacuit, etſi fortè plus laboris, quàm ingenij habere videatur. Conſtat enim induſtria hinc atque hinc decerpendi. Hoc vno iuuenum ſtudia accenduntur, & iuuantur: nam quod ſparſum, & ſeparatum eſt, in vnum locum colligit. In hoc nonnullos euigilaſſe, & diu verſatos fuiſſe videmus: è quibus aliquos hîc refferre non erubeſcam, Ambroſium Callepinum, Eraſmum, Ciceronis libertum, Budæum latinæ, græcæq; linguæ facilè principem: item apud Græcos

tot clariſſimos, qui ex profeſſo hoc ſcribendi genus tractarunt. Horum exemplo, multorumq; precibus, quibus iure negare id certè non potuiſſem, ductus: huic dare aliquantulam operam, poſt longuam animi cogitationē, conſtitui. Quamobrem, communi conſulens vtilitati, quam ſemper ob oculos habendam, nō minus honeſtum, quàm laudabile, & glorioſum fore ſemper duxi, omnes epiſtolas, quæ in diuerſis pandectarum locis ſparſæ erāt, & tanquam occultæ iacebant, collegimus: &, vt in omnes omnium manus venirent, in vnum locum tranſcripſimus, & in tres libros per ordinem diuiſimus. Pleroſq; enim & penuria & indigentia oppreſſos, Alios ignorantia, quòd in libris ciuilibus tales epiſtolas contineri non putarent: his carere videbamus. Adieci præterea, in gratiam iuuenum, vnicuique Epiſtolæ ſcholion, ex ipſis etiam Iuriſconſultis decerptum. Interim tamen non ignoro hos meos labores, morſibus detractantium ſubijciendos fore: noui etenim nōnullorum vaniloquentias, qui ſuo nomini multùm additum putant, ſi vel

opti

optimè factis allatrent. Verùm hoc flocciſacio: nam ſi indoctis non placeo, non eſt quòd querar: habeo enim quod optaui, bonam de ingenio meo ſpem: Sin dotis quoque non probabor, eſt (fateor) quod doleam, non quod mirer. Nam quis ego? Athlas non ſum: Nanus ſum. Qui me mordebunt, clauam de manu Herculis nõ ſubtraxerint, Quid eſt prætereà, quod in tanta iudiciorum varietate mihi blandiar, aut aliquid arrogem? Cùm videam detractantium linguas cùm in nullis ſcribendi generibus ceſſaſſe, tum ne ipſis quidem latinæ linguæ fontibus pepercisse. Vtinam autẽ hæc laboris portio, tantum vtilitatis adferat ſtudioſis, quantum mihi attulit voluptatis. Porrò etſi is ſit mos ſcriptoribus, vt eorum laudibus, quibus ſuas nũcupant lucubrationes, bonam epiſtolæ aut orationis partem occupent: mihi verò licet verè citráq; fucum laudandi tui campus patebat, quantus aliorum nemini: tamen, quoniam & mea ſimplicitas, tibi nequaquam ignota, non ab adulatione tantùm, verumetiam blãdiloquentia vehementer abhorret: & tua ſingularis mode-

ſtia,nihil minus pati ſolet, quàm laudes etiam modeſtiſſimas: prætermiſſis his, viſum fuit hæc ad te ſcribere, quò meum in te amorem teſtarer. Quamobrem has dicandas tibi putaui, non vt tuam mihi comparem, & cõciliem amicitiam, in eáq; permaneam: quam & ſempiternam, & Pyladeam, à paruiſq; incœptam eſſe, ſum ipſe teſtis: ſed vt pro tua prudentia, de noſtris lucubrationibus iudicium facias. Spes enim eſt, ita vel maximè candido lectori probatum iri vigilias noſtras, ſi tu quidem eas probaueris, qui mihi ſemper vniuerſitatis inſtar fuiſti. Accipe igitur precor benigno animo, & boni æquíque omnia conſule. Lege, ac Vale, vel interim potius quàm maximè mecum eſto.

Lugduni, IIII. Nonas *Auguſti,* Anno *à* Chriſti *natiuitate* M. D. XLIX.

EPISTOLARVM IVRIS CIVILIS LIBER PRIMVS.

Seius Numularius, L.Titio S. P. D.

EX RATIONE menſæ, quam mecũ habuiſti, uſq; in hunc diem ex contractibus plurimis, remanſerunt apud me ad menſam meam trecenta & octoginta ſex, & uſuræ, quæ competierũt. Summam aureorum, quam apud me tacitam habes, refundam tibi. Si quod inſtrumentum à te emiſſum cuiuſcunque ſummæ, ex quacunque cauſſa apud me remãſit: uanum & pro cancellato habebitur. Vale.

SCHOLION.

EX hac epiſtola quæſitũ eſt, cùm Lucius Titius ante hoc chirographum C.Seio

per epiſtolam ſe obligare, conſtituendo ſe pro debito alteri. Quod ſecus eſt, ſi quis conſtituerit alium pro ſe ſoluturum, vt Pomponius *libro octauo ſcripſit, facere videtur.* §. *ſi in nouel. vt cùm de appella. cogno.*

L. *Titius, Seio* S. P. D.

REmanſerunt apud me quinquaginta ex credito tuo, ex contractu pupillorum meorũ, quos tibi reddere debeo Idibus Maii, probos. Quod ſi tibi ad diem ſupra ſcriptum non dedero: tũc dare debeo uſuras tot. Vale.

SCHOLION.

QV*æritur, an* Lucius Titius *in locum pupillorum ad cautionẽ eius ſucceſſerit?* Marcellus *libro ſingulari reſponſorum, reſpondit: Si interceſſerit ſtipulatio, ſucceſſiſſe. Sed rurſus, quæritur ex illo reſponſo* Marcelli: *Quid ſi non ſucceſſerit: an de conſtituta te-*

nea

pecunia interuerſa, aut cōmiſſo aliquo maiore maleficio, ad fugiendam inquiſitionem, uel iuſtitiam animaduerſionis in arenam ſe dare mallent, reddi eos oportet. Vale.

SCHOLION.

EX *qua adnotant* Iuriſ*conſulti: Si in arenam fugitiuus ſeruus ſe dederit, ne iſto quidem periculo, diſcriminis vitæ, quod ſibi irrogauit, poteſtatem domini euitare poterit.*

Iunius Dioph*antus*, P*omponio ſuo* S.

MInor uigintiquinque annis nouādi animo intercesſit pro eo, qui temporali actione tenebatur, tunc cūm adhuc ſupererant decem dies: et poſtea in integrum reſtitutus eſt. Vtrum reſtitutio, quæ creditori aduerſus priorem debitorem datur, decem dierum ſit, an plenior? Ego didici, ex tempore in integrum

Digitized by Google

grum reſtitutionis tantundem tempo-
ris præſtandum, quantum ſupererat. Tu quid de eo putas, uelim reſcribas. Vale.

Pomponius Iuriſconſultus Iunio S.

SIne dubio, quod de temporali actione, in qua interceſsit minor, ſenſiſti: puto uerius eſſe. Ideoq́;, & pignus, quod dederat prior debitor, manet obligatum. Vale. Et iterum Vale.

SCHOLION.

HInc colligunt interpretes, Minore reſtituto, actionem in priſtinum debitorem reſtitui, in eo ſtatu, in quo erat tempore nouationis.

Scaurus, *Marcello* S.

BInas ædes habeo, alteras tibi lego: hæres alteras altius tollit, & luminibus

bus tuis officit, nunquid cum illo agere poteris? Et an intereſſe putes: ſuas ædes tollat, an hæreditarias? ſed & de illo quæro, an per alienas ædes acceſſum hæres, ad eam rem, quæ legatur præſtare debet? Sicut ſolet quæri, cùm uſuſfructus loci legatus eſt, ad quem locum accedi, niſi per alienum: non poteſt. Vale.

Marcellus, Scauro ſuo S.

QVi binas ædes habebat, ſi alteras legauit, non dubium eſt, quin hæres poſsit altiùs tollendo, obſcurare lumina legatarum ædium. Idem dicendum, ſi alteri, ædes: alteri, aliarum ædiũ uſumfructum legauerit. Non autem ſimile eſt itineris argumentum: quia ſine acceſſu, nullum eſt fructus legatũ: habitari autẽ poteſt, etiam ædibus obſcuratis. Cæterùm uſufructu loci legato, etiam acceſſus dandus eſt: quia & hauſtus aquæ relicto, iter quoque ad hauriendum præſtare

retur,ſed ita officere luminibus,& obſcu rare legatas ædes conceditur, ut non penitus lumen recludatur, ſed tantum relinquatur, quantum ſufficit habitantibus,in uſus diurni moderationē. Vale.

SCHOLION.

HOc Marcelli reſcriptum,ita temperandum eſſe Paulus exiſtimat Lib. *III. ad Sabinum: ut non in totum ædes obſcurentur, ſed modicum lumen, quod habitantibus ſufficit,habeant. Interpretes verò, ex illa* Marcelli *epiſtola colligunt*: H*æredem non poſſe, in domo ſibi relicta ædificare, ſi ædificãdo alteri vicino noceat: veluti, ſi vſum ædium legatarum ædificando impediat,& tollat.*

Λούκιος Τίτιος Γαΐῳ Σείῳ τῷ ἀδελφῷ
πλεῖστα χαίρειν.

Ὕδατος τοῦ ῥέοντος εἰς τὴν κρήνην τὴν κατασκευασθεῖσαν ἐν ἰσθμῷ ὑπὸ τοῦ πατρός μου, δίδωμι καὶ χαρίζομαί σοι δάκτυλον εἰς τὴν οἰκίαν σου τὴν ἐν ἰσθμῷ, ἢ ὅπου δ᾽ ἂν βούλει. *Id eſt.*

L. Ti

L. *Titius*, C. *Seio fratri* S.

DE aqua fluente in fontem, quem pater meus in Iſthmo inſtruxit, do concedoq́; tibi gratuitò digitum, ſiue ad domum, quã in Iſthmo tenes, ſiue quocunque tandem volueris. Vale.

SCHOLION.

EX qua ſcriptura Paulus ait: vſum aquæ perſonalẽ ad hæredẽ Seij, quaſi vſuarij tranſmitti, non oportere. Cæterùm interpretes, tam ex litera L. *Titij, quàm ex Pauli interpretatione adnotant. Conceſsionem perſonalem, ex conceſsione determinata, reſpectu fundi, qui dominatur, præſumi.*

Cæſar, Statilio Tauro S.

HI qui ex fundo Satriano, aquam ducere ſoliti ſint, adierunt me: propoſueruntq́; aquam, qua per aliquot an-

nos uſi ſunt,ex fonte, qui eſt in fundo Satriano , ducere non potuiſſe , quòd fons exaruiſſet: & poſtea ex eo fonte aquam fluere cœpiſſe: petieruntq; me,ut quod ius non negligentia, aut culpa ſua amiſerant,ſed quia ducere nō poterant, his reſtitueretur. Quorum mihi poſtulatio,cùm non iniqua uiſa ſit, ſuccurrendum his putaui. Itaque quod ius habuerunt primùm,cùm ea aqua ad eos peruenire non potuit,id eis reſtitui placet.

Vale.

SCHOLION.

HIs verbis,vt autor eſt Attilicinus,*referente* Paulo *lib.* XV. Ad Plautium: Ad *quæſtionem huiuſmodi illi propoſitam,reſcripſit. Si fons exaruit, ex quo ductum aquæ habeo,iſq; poſt ſtatutum tempus ad ſuas venas redierit: an aquæductus amiſſus erit? Quæritur,* Ex *cuius reſcripto colligunt interpretes,* Eum *quidem,qui etiam iuſto impedimento impe*

pe

peditus, non vtitur ſeruitute legitimo tempore, ſeruitutem amittere: ſed ei ex generali clauſula, per reſtitutionem ſuccurri aiunt. Quòd an principium conueniat textui, cogitabis. Mihi tamen ſemper viſum fuit, nihil in textu de amiſsione ſeruitutis dici.

Ὀφειλέτης, δανειστῇ χαίρειν.

ΔΑνεισάμενος, παρὰ σοῦ δηνάρια πεντακόσια, παρεκάλω σε μὴ βεβαιωτὴν, ἀλλ᾽ ὑποθήκην παρ᾽ ἐμοῦ λαβεῖν. Οἶδας γὰρ ἀκριβῶς, ὅτι ἡ ταβέρνα, καὶ οἱ δοῦλοι μου οὐδενὶ κατέχονται ἢ σοί, ὡς εὐσχήμονι ἀνθρώπῳ πιστεύσας. *Id eſt,*

Debitor Creditori S.

MVtuatus abs te quingentos denarios, rogaui, ne ſponſorem, ſed pignus à me acciperes. Exactè enim, & pro certo noſti, nemini alii tabernam, ſeruosq́ meos, quàm tibi eſſe obligatos: tanquam honeſto uiro fidem adhibendam duxiſti. Vale.

Σχόλιον.

OCcaſione iſtius epiſtolæ, quæſitum fuit à Scæuola, An pignus contractum ſit,

Digitized by Google

Et an epiſtola, ſine die, & conſule facta, nullius momenti ſit. Quibus ita ſatisfactum fuit à Scæuola lib. I. Quæſtionum. Cum cōueniſſe de pignoribus videatur, non idcirco obligationem pignorum ceſſare, quòd dies, & conſules additi, vel tabulæ ſignatæ non ſint.

Εὐδαίμονος Νικομηδέως, Ἀντωνίνῳ βασιλεῖ, χαίρειν.

Κύριε βασιλεῦ Ἀντωνῖνε ναυάγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, διηρπαγημένου ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς κυκλάδας νήσους οἰκούντων. *Id eſt.*

Eudemonius Nicomedenſis, Antonino *Imperatori* S.

DOmine Imperator Antonine, facto in Italia naufragio, ſpoliati direptiq́ſumus à ſeruis publicis, qui Cycladas inſulas inhabitant.

Ἀντωνῖνος, Εὐδαίμονο χαίρειν.

Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. τῷ νόμῳ τῶν ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. *Id eſt.*

An

Antoninus, Eudemonio S.

EGo quidem mundi dominus, lex uerò maris, Lege id Rhodia, quæ de rebus Nauticis perſcripta eſt, diſceptetur: quatenus ei nulla noſtrarum legum aduerſatur.

ΣΧΟΛΙΌΝ.

Τοῦτο δ᾽ αὐτὸ καὶ ὁ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν, *hoc eſt*, Hoc *idem* Diuus *quoque* Auguſtus Indicauit*: vt refert* Voluſius Mætianus *Iuriſconſultus lib.* ἐπιτομῶν. Ad legem Rhodiã. Ex *quibus duobus* Reſponſis, *vis, & poteſtas iuris non ſcripti (quod conſuetudo dicitur) ſatis, qualis ſit, oſtenditur: videntur enim velle, conſuetudinem eam cui lex in nullo aduerſatur, valere: quod ſatis apertè animaduerterunt interpretes.*

Octauius Terminalis, *rem agens* Octaui Felicis, *Domitio felici*. S.

HAbes penes menſam patroni mei denarios mille, quos denerarios

uobis numerare debebo, pridie Calendas Maias. Vale.

ΣΧΟΛΙΟΝ.

Ex hac epiſtola, à Scæuola quæſitum eſt: An Lucio Titio *(qui menſam numulariã exercebat, per libertum ſuum menſæ præpoſitum: qui hac epiſtola cauerat* Caio Scio*) ſine hærede defuncto, bonis eius venditis, an ex epiſtola hac iure conueniri terminalis poſſit? Reſpõdit Scæuola his verbis:* NEC IVRE HIS VERBIS OBLIGATVM, NEC AEQVITATEM CONVENIENDI EVM, SVPERESSE: CVM ID EX INSTITORIS OFFICIO AD FIDEM MENSAE PRAESTANDAM SCRIPSISSET.

Lucius Titius, *Sempronio* S.

Centum numos, quos hac die commendaſti mihi, annumerante ſeruo

uo ſticho actore, eſſe apud me, ut totum haberes, hac epiſtola, manu mea ſcripta, tibi notum facio. Quos quando uoles, & ubi uoles, confeſtim tibi numerabo. Vale.

ΣΧΟΛΙΟΝ.

QVæſitum fuit à Papiniano, hac epiſtolà quis cõtractus cenſeretur eſſe celebratus: & propter vſurarium incrementum: quæ actio ex hac epiſtola competat. Reſpondit: Actionem depoſiti, locum habere. Nam, inquit, QVID EST ALIVD COMENDARE, QVAM DEPONERE? Quam reſponſionem Idem interpretatur his verbis: QVOD ITA verum eſt, inquit, ſi id actũ eſſet, VT CORPORA NVMORVM EADEM REDDERENTVR. NAM SI, VT TANTVNDEM SOLVERETVR, CONVENIT: EGREDITVR EA RES DEPOSITI NOTISSI-

MOS TERMINOS. *In qua quæſtione, ſi depoſiti actio non teneat, cùm conuenit tantundem, non idem reddit, rationem vſurarum haberi (non) facilè dicendum eſt.* Et *eſt quidem conſtitutum in bonæfidei iudicijs, quod ad vſuras attinet, vt tantundem poßit officium arbitri, quantum ſtipulatio.* Sed *& contra bonam fidem, & depoſiti naturam eſt, vſuras ab eo deſyderari tēporis ante moram, qui beneficium in ſuſcipienda pecunia dedit. Si tamen ab initio de vſuris præſtandis conuenit, lex contractus ſeruabitur.* Ex *quo duo annotant noſtri interpretes. I.* Commodatum *& depoſitum idem eſſe. II.* A` *tempore moræ, actione depoſiti, vſuras venire: etiam, ſi pecunia numerata deponitur, etſi depoſiti fines, egrediatur.*

Diuus Hadrianus, *Iunio* V*aro* Legato *prouinciæ* Ciliciæ S.

TV magis ſcire potes, quanta fides habenda ſit teſtibus: qui, & cuius dig

dignitatis, & cuius exiſtimationis ſint: & qui ſimpliciter uiſi ſunt dicere ueritatem: utrum unum & eundem ſermonem, præmeditatumq́ attulerint: an ad ea, quæ interrogaueris, ex tempore, ueriſimilia reſponderint. Vale.

ΣΧΟΛΊΟΝ.

HOc reſcripto, Imperator Hadrianus nos docet, vt etiam Calliſtratus libro IIII. de Cognitionibus, refert. Eum, qui iudicat magis ſcire poſſe, quanta fides habenda ſit teſtibus. Conſulunt tamen interpretes Iudici, Tutius eſſe, ſi faciat apparere in actis, vt ipſi loquuntur, ſuſpicionem, propter quam fides teſti minuitur: ob id, quòd acta nonnunquam ſunt examinanda in cauſa appellationis.

Diuus *Hadrianus*, *Valerio Varo* S.

QVæ argumenta, ad quem modum probandæ cuiq́ rei ſufficiãt, nul-

lo certo modo definiri poteſt. Sicut non ſemper, ita ſæpe, ſine publicis monumẽtis cuiuſque rei ueritas depræhenditur: Aliâs numerus teſtium, Aliâs dignitas, & autoritas: Aliâs ueluti conſentientes fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Hoc ergo ſolum tibi ſcribere poſſum ſummatim, non utique ad unam probationis ſpeciem cognitionem ſtatim alligari debere: ſed ex ſentẽtiæ animi tui te exiſtimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opineris. Vale.

ΣΧΟΛΙΟΝ.

HOc reſcriptum, de excutienda fide teſtium, autore Calliſtrato, tractat.

Diuus Hadrianus, Iunio Rufino, Macedoniæ proconſuli S.

NOſti quæ crimina obiecerit apud me Alexander Apro: quem, quia non

nō probabat, nec teſtes producebat: ſed teſtimoniis uti uolebat, quibus apud me locus non eſt (nam ipſos interrogare ſoleo) ipſum remiſi, ad prouinciæ præſidem, ut is de fide teſtium quæreret: & niſi impleſſet, quod intendebat, relegaretur. Vale.

SCHOLION.

Hoc reſcripto, ſatis conſtat Imperatorē *nos docuiſſe:* Teſtibus *ſe, non teſtimonijs crediturum. Cui videtur ſuffragari* Iuſti. *in* §. *illud.* In Nouel. Titul. *Vt defunct. ſeu ſu. &* §. *& quando.* In Nouel. *de teſtib.*

Diuus Hadrianus, *Sabino* Maximo S.

ALia eſt autoritas præſentium teſtium, Alia teſtimoniorum, quæ recitari ſolent. Tecum ergo delibera, ut ſi detinere eos uelis, des eis impendia. Vale.

Di

Diui fratres Iudicibus S.

QVod ad teſtes euocãdos pertinet, diligentiæ iudicantis eſt explorare, quæ conſuetudo in ea prouincia, in qua iudicat, fuerit. Nam ſi probabitur ſæpe in aliam ciuitatem teſtimonii gratia pleroſque euocatos : non eſt dubitandum, quin euocandi ſint, quos neceſſarios in ipſa cognitione deprædenderit, qui iudicat. Valete.

SCHOLION.

OBſeruandum eſt, hîc poni caſum, in quo conſuetudo venit conſideranda loci. De *quo l.ij.* C.*de iure calum.*Barto.*in l.ſi fundus. ff.de euict.& l.prima.de vſur.*

Publia Mæuia proficiſcens ad maritum ſuum, Caiæ Seiæ S.

ARcam clauſam cum ueſte, & inſtrumentis tibi commendo: quæ cùm ſal

ſalua ſanáue uenero reſtitues mihi. Cæterùm ſi aliquid mihi humanum contigerit, filio meo, quem ex altero marito ſuſcepi. Vale.

SCHOLION.

DEfuncta Mæuia inteſtata, quæſitũ fuit à Paulo: res commendatæ Seiæ, cui reſtitui deberent, filio, an marito? Qui, Lib. IIII. Reſponſorum, filio reſtitui debere, reſpondit.

Titius, Sempronio S.

HAbere me à uobis auri pondo plus minùs decẽ, & diſcos duos, ſaccum ſignatum: ex quibus debetis mihi decẽ, quas apud Titium depoſuiſtis: itẽ quos τροφίμαις decem: item ex ratione patris ueſtri decem, & quod excurrit. Vale.

ΣΧΟΛΙΟΝ.

QVæritur, an ex huiuſmodi ſcriptura, aliqua obligatio nata ſit, ſcilicet, quòd ad

ad ſolam pecuniæ cauſſam attinet: Reſpondit Paulus Lib. IIII. Reſponſorum. *Ex epiſtola, de qua quæritur obligationem quidem nullam natam videri: ſed probationem depoſitarum impleri poſſe. An autem is quoque, qui deberi ſibi cauit, eadem epiſtola decem probare poſſit: hoc, quod ſcripſit, iudicem æſtimaturum. Hinc interpretes, vnum epiſtolæ effectũ adnotant: fidem, ſcilicet, facere, aduerſus eum, qui producit illam.*

Λούκιος Τίτιος, Σεΐῳ χαίρειν.

Ἔλαβον καὶ ἔχω εἰς λόγον παρακαταθήκης τὰ προγεγραμμένα τοῦ ἀργυρίου δηνάρια μυρία: καὶ πάντα ποιήσαι συμφωνῶ, καὶ ὡμολόγησα, ὡς προγέγραπται· καὶ συνεθέμην χορηγῆσαι σοὶ τόκον ἑκάστης μνᾶς ἑκάστου μηνὸς ὀβολοὺς τέσσαρας, μέχρι τῆς ἀποδόσεως παντὸς τοῦ ἀργυρίου. *Id eſt,*

Lucius Titius Seio S.

SVſcepi, habeoq́ apud me titulo depoſiti, ſupraſcripta denariûm argenti decem millia: meq́ ad præſcriptum omnia

mnia

mnia præſtaturum,& promitto,& profiteor: conuentione ſcilicet inita, ut quoad omne argentum reddatur, in ſingulos menſes, ſingulasq; libras uſurarum nomine, quaternos tibi obolos ſubminiſtrem. Vale.

SCHOLION.

Quæſitum eſt occaſione epiſtolæ: An *vſuræ peti poßint:* A *Paulo illi quæſtioni ſatiſfit, his verbis:* EVM CONTRACTVM DEPOSITAE PECVNIAE MODVM EXCEDERE: ET IDEO SECVNDVM CONVENTIONEM VSVRAE QVOQVE ACTIONE DEPOSITI PETI POSSVNT. *Ex quibus ſatis liquet quod* Barto. *& alij* Doctores *tradunt: Vſuras in conuentionibus bonæfidei, ex pacto deberi. Quod* Iuſtiniani *conſtitutio explicat in l. initio. C. de pactis inter emptorem & venditorem.*

Caci

Cæcilius Candidus, Paccio Rogatiano Suo S.

VIgintiquinque numos, quos apud me eſſe voluiſti, notum tibi hac epiſtola facio, ad ratiunculam meam perueniſſe: quibus ut primùm proſpiciam, ne uacui tibi ſint, curæ habebo. Vale.

SCHOLION.

AN, ex hac epiſtola, quam Quintus Cæcilius Candidus, ad Paccium Rogatianum ſcripſit, etiam vſuræ peti poßint. Cui reſpondet Scæuola, deberi ex bonæ fidei iudicio: ſiue percepit, ſiue pecunia in rem ſuam vſus eſt. Cui ſuffragatur Vlpianus, l. idemque. §. ſi procurator. mandati. SED ET SI, *inquit, Pecuniam meam fœnori dedit vſurasq; conſecutus eſt: conſequenter dicemus debere eum præſtare quantumcumque emolumenti ſenſit. Quòd ſi non exercuit pecuniam, ſed ad vſus*

vſus ſuos conuertit:in vſuras conuenietur, quæ legitimo modo in regionibus frequentantur. Denique *&* Papinianus *ait, etiam ſi vſuras exegit procurator,* Et *in vſus ſuos conuertit vſuras eum præſtare debere.* Infert Accur*ſius,non ergo deberi ex pacto,ſi eo debeãtur, quòd in vſus ſuos conuerterit, & ſi nõ appareat de quibus vſuris conuentio facta ſit. l.tutor.§.fin.ff.de vſur.* Aduer*tas tamen aliâs deberi etiam iure pacti.l.cum quidam.§.ex locato.de vſuris.*

Amicus Amico *ſuo* S.

ROgo te,mihi amice,ut commendatum habeas Sextilium creſcentem amicum meum. Vale.

SCHOLION.

H*Ac epiſtola, nullum interuenire mandatum inter illos,* Vlpianus *docet:* Ideo *non erit obligatus mandati.* Q*uia commendan*

c

di magis, quàm mandandi cauſſa ſcripta eſt. Sed verba commendatiua, aut (vt cum Bartolo loquar) recommendatoria, non obligant.

Ille, Illi S.

MAndo tibi, ut Blæſio Seuero affini meo, octoginta credas ſub pignore illo, & illo: in quam pecuniam, & quicquid uſurarum nomine acceſſerit, indemnem rationem tuam me eſſe ex cauſa mandati, in eum diem, quoad uixerit Blæſius Seuerus præſtaturum.
Vale.

SCHOLION.

C*V`m ſæpe mandator conuentus, non reſpondiſſet. Quæſitum fuit:* An *morte debitoris liberatus ſit?* Paulus *lib.* IIII. Reſpon. Re*ſpondit his verbis:* Mãdati obligationẽ perpetuã eſſe, licet in mãdato adiectum eſſe uideatur. *Indemnem rationẽ tuã me eſſe ex*

ex cauſſa mandati, in eum diem, quoad vixerit Blæſius Seuerus, præſtaturum. Perpetuam autem ideo dicit Paulus mãdati obligationem. Quoniam tempus non eſt modus tollendæ obligationis.

Titius, Scio S.

SEmproniam, ad animũ meum pertinere cognouiſti: ideoq; cùm ex uoto meo nuptura tibi ſit, uelim certus ſis ſecundum dignitatem tuam contrahere te matrimoniũ. Et quamuis idoneè promiſſuram tibi Titium matrem puellæ dotem ſciam: tamen & ipſe, quo magis conciliem animum tuum domui meæ, fidem meam interponere non dubito. Quare ſcias, quodcũq; ex hac cauſſa ſtipulatus fueris, id me, mea fideiuſsione ſaluum te habiturum. Vale.

SCHOLION.

EX hac epiſtola, cùm mater puellæ, Seia, quæ neque Titio mandauerat, neque ra-

tum,quod hac epiſtola, ad Seium ſcripſerat, dotem Seio promiſit. Quæruntur duo. Primum,ſi hæres Titij, ex cauſſa mandati præſtiterit: An actione mandati hæredem Titiæ conuenire poßit? Reſpondit Scæuola, ſecundum ea quæ proponerentur, non poſſe. Deinde,quæſitum eſt,an nec negotiorum geſtorũ? Reſpondit idẽ lib. I. Reſponſorum, his verbis: Nec hoc nomine iure agere poſſe.Palàm enim facere Titiũ,nõ tam Titiæ nomine, quàm quod cõſultũ ſibi vellet,mandaſſe. *Poſtremò etiam quæritur,ſi maritus aduerſus mandatorem ageret: an aliqua exceptione ſubmoueatur? Cui etiã ſatisfacit Scæuola, his verbis:nihil,inquit,*proponitur,cur nõ ſubmouẽdus ſit. H*inc interpretes, Omne mandatum non parere actionem docent: quando ſcilicet factũ eſt ob vtilitatem mandantis tantum:ceſſat & tunc mandati actio facit.l.ſi pupilli.§.ſed & ſi.ff.de nego.geſt.l.ſi prior.§.primo.ff.qui potiores in pigno.*

Σείῳ Τίκιῳ χαίρειν.

Ἐγὼ μὲν κατὰ φύσιν νομίζω, τὸ ὑπὲρ πατρὸς καὶ τοῦ πατρὸς ἀδελφῶν πραγματεύεσθαι, δίκαιον τινὰ εἶναι τροπικὸν λέγειν, ἀλλὰ

κοὶ

καὶ τοιούτου τινὸς, ἐπιτρέπω σοι περὶ παντὸς ἐμῶν, ὡς θέλεις πραγματεύεσθαι εἴτε ὅτι οὖν πράττειν ὡς κυρίῳ ὄντι τῶν ἐμῶν, ἐμοῦ πάντα κύρια εἶναι τὰ ὑπὸ σοῦ γινόμενα ἡγουμένου, καὶ μηδὲν ἀντιλέγοντος σοι πρὸς μηδεμίαν πρᾶξιν. *Id eſt,*

Seio filio S.

TAmetſi naturæ conſentaneum eſſe arbitror, vt patris fratrumq́ꝫ patronorum negotia quis, vel nullo de ea re mãdato requiſito adminiſtrat: ſiue uendere, ſiue pignori obligare, ſiue comparare, ſiue quid aliud agere uelis: me non aliter omnia, quæ per te geſta erunt, rata habente, neque in ullius geſtione tibi reclamante, quàm ſi rerum mearum penes te dominium eſſet. Vale.

SCHOLION.

HAc *epiſtola, Lucius* Titius *fratris ſui filio, qui nepos, dicitur, rerum ſuarum adminiſtrationem commiſit. Occaſione cuius. Quæſitum eſt: Si quid non adminiſtrandi ani-*

mo,ſed fraudulenter alienaſſet, vel mandaſſet: an valeret? Huic *quæſtioni ſatisfacit Scæuola, his verbis:* Eum de quo quæritur plenè quidem, ſed quatenus res ex fide agenda eſſet mãdaſſe. *Item quæritur:* An *,cum Seius magiſtratu functus, debitor extitiſſet,* Lucius Titius *eo nomine conueniri poſſet, vel res eius, obligatæ eſſent, propter verba epiſtolæ ſuprà ſcriptæ:* Cui *reſpondetur negatiuè: neque ſcilicet res obligatas eſſe, neque conueniri poſſe.* Ex *cuius poſtremo reſponſo annotant* Doctores: *Seruum non conueniri iure ex facto domini poſſè.*

Lucius Titius Caio *ſuo* S.

PEto & mando tibi, ut fideiubeas pro Publio Mæuio, apud Sẽpronium, quæcũque à Publio ſoluta tibi non fuerint, me repræſentaturum hac epiſtola, manu mea ſcripta, notum tibi facio.

Vale.

QVæſitum eſt, ſi non fideiuſsiſſet, ſed mandaſſet creditori, & aliter egiſſet quàm ei mandatum eſſet: an actione mandati teneretur? Reſponſum eſt à Scæuola libro VI. Digeſtorum, teneri. Hinc dicere poſſumus: Nihil intereſſe, quid ex æquipollentibus fiat. facit. §. ex quibus. l. ſed & ſi. Dig. de iudic. itẽ Imperatoris conſtitutio poſita in l. ſi mater. C. de inſtitutionibus, & ſubſtit.

Neratius, Ariſtoni S.

QVi fundum locat, inſtrumenti nomine conductori præſtare ſolet Dolia, & prælum, & trapeta inſtructa funibus: ſin minùs, dominus inſtruere ea debet: ſed & prælum, & trapetum vitiatum, dominus reficere debet. Quòd ſi culpa coloni, quid eorum corruptum: ex locato eum ſæpe ſcriptum eſt. Fiſcus autem quibus ad præmendam oleam uti-

mur, colonum ſibi parare debere, ſcriptum etiam eſt. Quòd ſi regulis olea præmatur, & prælum, & ſucculam, & regulas, & tympanum, & trochleas: quibus releuatur prælum, dominum præſtare oportet. Item ahenum: in quo olea calida aqua lauatur, ut cætera uaſa olearia dominum præſtare oportet: Sicuti dolia uinaria, quæ ad præſentem uſum coluum picare oportet. Vale.

SCHOLION.

B*Reuiter, & elegantiſſimè hanc interpretatur Coripſeus Iuris Papinianus, inquiens*: Hæc omnia ſic ſunt accipiẽda, niſi quid aliud ſpecialiter actũ ſit. Ex *qua etiam noſtri interpretes breuiter quidem, ſed verbis paulò rudioribus coligunt*: Locatorem *fundi teneri, colono inſtrumenta fructuum liquidorum quærendorum cauſſa neceſſaria, præſtare: niſi aliter actum ſit.*

Ober

Obertus de orto, Anſelmo filio ſuo dilecto S.

CAuſarum quarũ cognitio frequenter nobis committitur, aliæ dirimuntur iure Romano, aliæ uerò legibus Longobardorum, aliæ autem ſecũdum regni conſuetudinem. Quæ quanquam ſint uariæ, & quanquam ſecundum diuerſorum locorum, aut curiarum mores ſint diuerſæ, nec breuiter poſsint dici, nec hoc libello facilè comprehendi: uſum tamen feudi, qui in noſtris partibus obtinet, prout poſsibile eſt, exponere tibi neceſſarium duxi. In iudicio etenim quod de feudis agitur, illud legibus noſtris cõtrarium dici ſolet. Legum autem Romanorum non eſt uilis autoritas: ſed non adeò uim ſuam extendunt, ut uſum uincant, aut mores. Strenus autem legis peritus, ſicubi caſus emerſerit, qui conſuetudine feudi non ſit compræhenſus: abſque calumnia uti poterit lege

ſcripta. Sciẽdum autem eſt, feudum, ſiue beneficium non niſi in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut in iis, quæ inter immobilia connumerantur (ueluti cùm de camera, aut de cauerna feudum datur) poſſe conſiſtere: ac feudum neminem poſſe acquirere, niſi inueſtitura, aut ſucceſsione. Vale.

SCHOLION.

Hic eſt caſus, quo conſuetudines vincunt leges: etſi generaliter receptum ſit contrarium: vt ſuprà dictũ eſt, & traditur in l. ij. C. quæ ſit longa conſuetudo in feudis, ſcilicet, in quorum materia conſuetudines derogant legibus. Intellige *cum Accurſio, de æqua conſuetudine, & non de iniqua.*

Obertus de horto, Anſelmo filio ſuo S.

Cogis me, & ſuper hoc, ſæpe ſcribendo, multùm urges, mi fili, ut cauſſas,

ſas, quibus beneficium amittatur, enumeratas tibi ſignificarem. Quod ideo diſtuli, quia ſæpius circa noſtræ reipublicæ curam occupatus, & multis priuatorum cauſsis, aliisq́ꝫ rerum innumerabilium impedimentis detentus, onus illud ſubire non uolebam. At ne uidear preces tuas paruipendere, & ſtudium diſcendi, tibi nunc imminens negligere, quid mihi ſuper hoc uideatur, paucis explicabo: dummodo memineris cauſſas illas ſub aliqua certa regula, aut definitione rotunda non poſſe comprehendi. Nam ſicut de probationibus in Digeſtis ſcriptum reperimus, ſic & de his cauſsis, ſine calumnia dicere poſſumus. Si quis enim dixerit, quæ cauſſæ quemadmodũ alicui domino ad ingratitudinem alicuius uaſalli probandam poſsint ſufficere, nullo certo modo poſſe definiri: nihil errauerit. De illa tamen ingratitudine loquor, per quam beneficium amittatur: non enim ad hoc ſufficit omnis occaſio,

per

per quam fidelis accepti beneficii uidetur ingratus, ſed ſunt quædam (ut ita dixerim) egregiæ ingratitudinis cauſſæ, quibus beneficium, ſecundum mores curiarum ſolet adimi: quomodo enim uaſallus, quàm humiliter, quàm deuotè, quàm benignè, quàm fideliter erga dominum ſuum debeat ſe habere, potius ex naturalibus & bonis curiarum conſuetudinibus poteſt percipi, quàm lege, aut ſcripto aliquo poſsit comprehendi: In primis te illud ſcire oportet, beneficii illius quod eſt genus, talem eſſe definitionem. Beneficium, nihil aliud eſt, quàm beneuola actio, tribuens gaudiũ capientibus, capiensq́ꝫ tribuendo: in id, quod facit, prona: & ſponte ſua parata, ut ait Seneca. Huius autem generis ſpecies quædam eſt beneficium illud, quod ex beneuolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dãtem remaneat: uſuſfructus uerò illius rei, ita ad accipiendum tranſeat, ut ad eum,

eum, hæredesq́ ſuos maſculos, ſiue fœminas (ſi de his nominatim dictum ſit) in perpetuum pertineat: ad hoc, ut ille, & ſui hæredes fideliter domino ſeruiant, ſiue ſeruitium illud nominatum quale eſſe debeat, ſit expreſſum ſiue indeterminatè ſit promiſſum. Vale.

SCHOLION.

HIc tria docentur: primum, cauſſas quibus feudum amittitur, non poſſe regula complecti. Deinde, *de officio vaſalli, an dominum tractat.* Poſtremò *finitiones duas beneficij, id eſt, feudi, dat.*

Siſennes præfectus Syriæ, *&* Phœniciæ: *& Sathrabutanes, ac collegæ in* Syria, Phœniciáq; *præſides,* Regi *Dario* S.

OMnino notũ eſt Domino noſtro regi, nos Iudææ fines ingreſſos, ubi Iero

Digitized by Google

Ieroſolymam urbẽ peruenimus, deprehendiſſe obnoxios captiuitati ſeniores Iudæorum in eadem urbe Ieroſolyma condentes ædem Domino magnã, & nouam, politis lapidibus prætioſis, tignaq́; iam iniuncta parietibus, atq; opera ipſa maturari inſtanter, & negotium rectè ſuccedere ſub manus ipſis ſumma cum magnificentia, diligentiaq́; perficiendum. Cúmq; interrogaſſemus ſeniores, his uerbis: *Cuiúsnam iuſſu ædificatis ædem hanc, aut hæc opera ſtatuitis?* Cùm, *inquam*, ſciſcitati eſſemus uiros his rebus autores, tibi ſignificandis, ſcribendiq́; cauſſa, & nomina ducum ab ipſis deſcribenda popoſciſſemus, illi nobis in hæc uerba reſponderunt: *Nos creatoris cæli terræque domini, ſerui ſumus.* Cùm autem conditum fuiſſet templum multis antehàc annis à rege Iſraelitico magno, & præpotente, & eſſet conſummatum; cæleſtis Dominus Iſraëlis, patres noſtros, quia peccatis exacerbarunt

ipſum, tradidit in manus Nabuchodonozoris regis Babyloniæ Chaldæorũ, qui tẽplũ hoc demoliti concremarunt, & populum captiuum abduxerunt Babylonẽ. Cyrus autem rex anno primo, quàm regnũ obtinuit in Babylonia, regione, diplomata dedit, ut templũ hoc ædificaretur, ſacraq́ uaſa, tam aurea, quàm argentea, quæ de templo Ieroſolymitano Nabuchodonozor abſtulerat, & collocauerat in delubro ſuo, ea rurſus inde rex idem Cyrus extulit è delubro illo Babylonico. Fuerunt autem attributa Zorobabeli, & Sanabaſſaro præfecto, cum mandatis, ut eadem aſportata uaſa in templo Ieroſolymitano reponeret in templo, inquam domini, ſuo loco reſtituendo. Tum Sanabaſſarus ille, cùm huc adueniſſet, fundamenta iecit ædis domini Ieroſolymitanæ: quæ cùm ex illo ædificetur uſque adhuc, nondum eſt conſummationem conſecutá. Nunc ergo, ſi Regi uidetur, inquiratur

in

in Regis Cyri bibliothecis:& ſi inueniatur decreto Regis Cyri cœptã eſſe ſtructuram ædis domini Ieroſolymitanæ, regiq́ꝫ domino noſtro uideatur, de his nobis renuntiet. Vale.

Rex Artaxerxes, Eſdræ ſacerdoti, legisq́ue dominicæ profeſſori S.

EGo aductus officiis humanitatis, ſtatuẽdum putaui: ut quiuis ex gente Iudæorum ſacerdotes & Leuitæ, qui eſſent in regno noſtro, quibusq́ꝫ ita gratum foret, unà tecum proficiſcerentur in terram Iſraëliticam. Si quibus igitur eſt animus, ut mihi, & ſeptẽ amicis meis conſiliariis placuit, unà conſurgant in profectionem: ut ſecundum ea, quæ lex domini continet, procurent res Iudaicas, & Ieroſolymitanas. Ferant autem Ieroſolymã domino Iſraëlitico munera, quæ ego, & amici uoto nuncupauimus,

mus, & aurum atque argentum omne, quod in terra Babylonica comparari potuerit Domino ferant Ieroſolymam, & quod donariis populi collatum fuerit, in templum domini Dei ſui Ieroſolymitanum: ut tam aurum quàm argentum cogatur in tauros, in arietes, in agnos, & his ſimilia, ad hoſtias Domino Ieroſolymis, ad aram eiuſdem Domini Dei eorum immolandas. Ad hæc omnia quæcunque tu cum fratribus tam auro, quàm argento effecta uolueris, pro uoluntate Dei tui perficito, ſacraq́ue uaſa Domini in templum Dei tui, quod eſt Ieroſolymis, tibi data, ibidem corã Deo tuo collocato. Itemq́ue reliqua quæcunque tibi uenerint in mentem, ad templum Dei tui neceſſaria de regali theſauro ſuppeditabis. Etenim ego Rex Artaxerxes, quæſtoribus Syriæ Phœniciæq́ue præcepi, ut quæcunque petitum miſerit Eſdras ſacerdos, legisq́ue ſummi Dei profeſſor, ea diligenter ipſi uſque ad talenta

argenti centum tribuant: ſimiliter autẽ, & uſque ad frumenti coros centum, uiniq́ metretas totidem. Et alia uerò largè omnia, ſecũdum legem Diuinam ſummo Deo peragantur: ut ne contrahatur offenſio regno regis, & filiorum eius. Porrò autem uobis denuntiatum eſto, ut ne ullis ſacerdotibus, Leuitis, ſacris cãtoribus, oſtiariis, ſacrorum miniſtris, aut huic templo nauantibus operam, ullis ullum tributum, aut uectigalis genus aliud irrogetur, neque poteſtatẽ quiſq́ habeat his quicquam imponendi. Tu uerò Eſdra pro Diuina ſapientia, iudices deſigna, & arbitros qui ius dicant in tota Syria, Phœniciaq́, legis Dei tui peritos omnes: imperitiores autem doceto, ut quicunque legem Diuinam, aut Regiam uiolarint, ſedulò plectantur ſiue morte, ſiue cruciatu, ſiue mulcta pecuniaria, ſiue abductione. Vale.

Diuus Seuerus, Dionyſio Diogeni S.

Atro

ATroci iniuriæ damnatus, in ordine Decurionum eſſe nõ potes: nec prod eſſe tibi debet error Præſidum, aut eius, qui de te aliquid pronunciauerit, aut eorum, qui contra formã iuris manſiſſe te in ordine decurionum putauerint. Vale.

SCHOLION.

QVòd qui damnatus eſt atroci iniuriæ, in ordine Decurionum *eſſe non poßit: in cauſſa eſt, infamia.* Infamis *enim eſt, qui damnatus eſt iniuriæ.* Atqui *infamibus portæ dignitatis non patent: vt docet* Imperator *in l. decuriones.* C.*quib.ex cauſis, infamia irroga. l.ij.de dignit.lib.*XII.C.*l.infamia.de decurio. lib.*X.C.

Diuus Marcus, & Lucius Imperatores, *Flauiæ Tertyllæ* S.

MOuemur & temporis diuturnitate quo ignara Iuris in matrimo-

nio auúculi tui fuiſti,& quòd ab auia tua collocata es,& numero liberorum ueſtrorú.Idcirco cùm hæc omnia, in unú concurrant, confirmamus ſtatum liberorum ueſtrorum, in eo matrimonio quæſitorum, quod ante annos quadraginta contractum eſt, perinde atque ſi legitimè concepti fuiſſent. Vale.

SCHOLION.

HIc *diuturnitas temporis ſpecialiter efficit, vt princeps moueatur, ad filiorum legitimationem, cùm generaliter ſit contraria iuris diſpoſitio, vt in l. obligationum ferè, §. placet.* Dig. de *oblig. & actio.* Hæc *epiſtola per menſorem libertum fuit miſſa, vt* Martianus *lib. 11.* In*ſtitutionum refert.*

Diuus Seu*erus*, Pontio *Luciano* S.

SI mulier quæ dotem dederat, poſt diuortium rurſus in matrimonium rediit,

diit,non reuocatis inſtrumentis: nõ dubitabit is apud quem res agetur, ſecundum uoluntatem mulieris: quæ utique non indotata redire in matrimonium uoluit, partibus ſuis fungi, quaſi renouata dote. Vale.

SCHOLION.

HInc Bartolus colligit: Dotem in primo matrimonio datam, in ſecundo repetitam intelligi.

Proculus, Nepoti ſuo S.

ANcilla quæ nupſit, dotiſq; nomine pecuniam uiro tradidit: ſiue ſciat ancillam ſe eſſe, ſiue ignoret: non potuit eam pecuniam uiri facere: eaq; nihilominus manſit eius, cuius fuerat antè, quàm eo nomine uiro traderetur: niſi fortè uſucapta eſt, nec poſtea quàm apud eundem uirum libera facta, eius pecuniæ

cauſſam mutare potuit. Itaque ne facto quidem diuortio, aut dotis iure, aut per condictionem repetere rectè poteſt: ſed is, cuius pecunia eſt, rectè uendicat eam. Quòd ſi uir eam pecuniam, pro ſuo poſsidendo uſuceperit, ſcilicet, quia exiſtimauit mulierem liberã eſſe: propius eſt, ut exiſtimem eũ lucrifeciſſe: utique, ſi antequàm matrimonium eſſe inciperet, uſucepit. Et in eadem adhuc opinione ſum, ſi quid ex ea pecunia comparauit, antequàm ea dos fieret, ita ut nec poſſideat eam: nec dolo fecerit, quominùs eam poſsideret. Vale.

SCHOLION.

Primùm docet, Ancillam nõ facere maritum dominum rei in dotem datæ: niſi vno caſu, ſcilicet, ſi vſucapta eſt. Hoc *enim caſu lucrifacit, titulo etiam pro dote.l.ſi* liberam. C. *quod cum eo.l.prima, in fi.*Dig.*pro dote.*

Nep

Nepos, *Proculo ſuo* S.

AB eo qui ita dotem promiſit: *Cùm commodum erit, dotis filiæ meæ tibi erunt aurei centum*: putásne protinus nuptiis factis, dotem peti poſſe? Quid ſi ita promiſiſſet: *Cùm potuero, doti tibi erunt centum*. Quòd ſi aliquam uim habeat poſterior obligatio, poſsit, uerbum, quomodo interpretaris? Vtrum ære alieno deducto, an extante? Vale.

Proculus, Nepoti ſuo S.

CVm dotem quis ita promiſit: *Cùm potuero, doti tibi erunt centum*: exiſtimo ad id, quod actum eſt, interpretationem eſſe redigēdam. Nam qui ambiguè loquitur, id loquitur, quod ex iis, quæ ſignificantur ſenſit. Propius eſt tamen, ut eum hoc ſenſiſſe exiſtimem, quòd deducto ære alieno potero. Poteſt & illa accipi ſignificatio, cùm ſalua dignitate

mea potero: quæ interpretatio magis accipienda eſt, ſi ita promiſſum eſt, cùm commodũ erit, hoc eſt, cùm ſine incommodo meo potero. Vale.

SCHOLION.

Hinc licet annotare, Senſum verborum dupliciter colligi poſſe. Aliâs expreſſè: Aliâs, iungendo præcedentia cum ſequentibus. l. vnum ex §. *ſi omiſſa.* Dig. de leg. ij. *Item cum verborum ſenſus eſt ambiguus, is debet aſſumi, de quo ſenſit promiſſor, qui eſt ambiguè locutus. Qui articulus, de* Ambiguorum *ſcilicet interpretatione, ſatis difficillimus exiſtimari poteſt, propter textuum varietatem. Quem tamen nos dilucidè in noſtris locis communibus, qui breui, vt ſpero, edentur, explicuimus.*

Atilicinus, Proculo ſuo S.

Cvm inter uirum & uxorem pactũ conuentũ ante nuptias factum eſſe: ut

ut,quibus diebus dos data eſſet, eiſdem diuortio facto redderetur, poſt quinquennium quàm nuptiæ factæ eſſent, uxor uiro dotem dedit: Diuortio facto, Quæro, utrum quinquennii die uir uxori dotem reddet, an ſtatuto legis tempore? Vale.

Proculus, Atilicino S.

QVod ad diem reddendæ dotis attinet, pacto exiſtimo meliorem conditionẽ mulieris fieri poſſe, deteriorem non poſſe. Itaque ſi cautum eſt, ut priore tempore, quàm legibus conſtitutum eſt, reddatur, ſtari ei pacto debere: ſi ut longiore, nec ualere id pactum conuentum. Cui ſententiæ conueniens eſt dicere, ut ſi pacto conuento cautum eſt, ut quantò ſeriùs poſt nuptias data fuerit, tantò ſeriùs poſt diuortium reddatur: ſi priore tempore quàm in reddenda dote conſtitutum eſt, data ſit, ualere pa-

ctum conuentum: ſi longiore, non ualere. Vale.

Seuerus, Sabino S.

CVm donationis cauſſa pretium auctū affirmes, qui ſuper ea re cogniturus erit, ſi pecuniæ modum recuſauerit, ipſa prædia reſtitui debere, ſumptuū deductis rationibus, arbitrabitur. In arbitrio igitur mariti erit, quid præſtitum malit. Idem iuris erit, etſi ecōtrario mulier, de minore æſtimatione, queratur. Nec aliud in commodato æſtimato obſeruari ſolet. Vale.

SCHOLION.

HOc reſcripto, vt refert Vlpianus, remediū mōſtrauit Imperator. *Cùm maritus æſtimationem rerum, quas in dotem accepit, dicat ſe donationis cauſſa auxiſſe.* Ex *verbis tamē illis,* in arbitrio, *inferri poteſt nihil valere*

lere æſtimationem, factam animo donandi per l. ſi res. in princ. Dig. *de iure dotium.*

Sulpitius, Marcello S.

MVlier, quæ ad communem filium uolebat, qui in poteſtate patris erat, poſt mortem patris fundum peruenire: eum patri tradidit, ut poſt mortem reſtituatur filio. Quæro an donatio tibi uideatur, ut nihil agatur: an ualeat quidem, ſed mulieri poteſtas detur, ſi uoluerit, eum repetere? Vale.

Marcellus, Sulpitio S.

SI color, uel titulus (ut ſic dixerim) donationi quæſitus eſt, nihil ualebit traditio: id eſt, ſi hoc egit uxor, ut aliquid ex ea re interim commodi ſentiret maritus. Alioquin ſi ſolo eius miniſterio uſa eſt, & id egit, ut uel reuocare ſibi liceret, uel ut res cũ omni emolumento, per patrem

trem ad filium tranſiret: cur non id perinde ſit ratum, ac ſi cum extraneo tale negotium contraxiſſet? hoc eſt, ſi extraneo in hanc cauſſam tradidiſſet. Vale.

SCHOLION.

HIc, ex ſententia Bart. *finitur nudus miniſter. Qui dicitur, vt ille ait, qui nullũ commodum ſentit.* De *quo in l. ſi quis* Titio. Dig. *de lega.ij.*

Quintus Mutius, *Pomponio* S.

CVm in controuerſiam uenit, unde ad mulierem quid peruenerit, & uerius, & honeſtius eſt, quod nõ demonſtratur unde habeat, exiſtimari à uiro, aut qui in poteſtate eius eſſet, ad eam perueniſſe. Vale.

SCHOLION.

EVitãdi turpitudinis quæſtus gratia, circa vxorem, hoc videtur Quintus Mu-

tius

tius probaſſe. Quod tamen recipere interpretationem, vt ſcilicet, vera ſit ſententia Mutij: niſi mulieris mos fuerit diuertere. Nam tunc præſumimus eam diuertere propter aliquod delictum in matrimonio commiſſum. Verum præterea eſt, hoc ſtatutū fuiſſe, quæſtus euitandi turpitudinis cauſa: niſi cùm ſolutum eſt matrimonium: nam tunc nulla ſubeſt cauſa, ob quam poſsimus præſumere quæſtum turpem, ſecundum quoſdam, cui interpretationi alij contradicunt: dicuntque idem ſemper eſſe, argumentò l. ij. C. de donationib. inter virum & vxorem.

Titia Vxor, Marito ſuo S.

CVm petenti mihi à te, domine chariſsime, annuerit indulgentia tua uiginti ad expediendas quaſdā res meas: quæ ſumma mihi numerata eſt, ſub ea conditione, ſi per me meosq́ mores non ſteterit, quominus in diem uitæ noſtræ permaneat. Siquidem inuito te diſceſſero

ro de domo tua, uel repudium tibi ſine ulla querela miſero, diuortiúmue factũ per me probabitur: tunc uiginti, quæ mihi hac die donationis cauſſa dare uoluiſti, daturam & reſtituturam me, ſine ulla dilatione ſpondeo. Vale.

SCHOLION.

EX *his literis quæſitum fuit*: Si *Titia vxor marito ſuo repudium miſerit: an pecuniã reſtituere debeat*: *Reſpondet Paulus his verbis*: Pecuniam, quam uir uxori donauit, ex ſtipulatione propoſita, ſi cõditio eius extiterit, peti poſſe: quoniá ex donatione in pecuniam creditam conuerſa eſt. Quod ſi ſtipulatio commiſſa non probetur: tunc tantùm peti poſſe, quantò locupletior ex donatione facta probetur.

Diuus Pius Antoninus, *Aelio Martiano proconſuli Vticæ* S.

DOminorum quidem poteſtatem in ſeruos ſuos illibatam eſſe oportet,

tet, nec cuiquam hominum ius ſuum detrahi: ſed dominorum intereſt, ne auxilium contra ſæuitiam, vel famen, vel intol lerabilem iniuriam denegetur iis, qui iuſtè deprecantur. Ideoq; cognoſcere de querelis eorum, qui ex familia Iulii Sabini ad ſtatuam confugerunt: etſi vel duriùs habitos, quàm æquum eſt, vel infami iniuria affectos cognoueris, venire iube, ita vt in poteſtatem domini non reuertantur. Qui ſi meę conſtitutioni fraudem fecerit, ſciat, me hoc admiſſum, ſæueriùs executurum. Vale.

SCHOLION.

HAc conſtitutione, ſæueritas dominorum coërcetur: nã olim apud omnes peræquè gentes, vt Iuſtinianus in ſuis inſtitutionibus docet, domini animaduertere in ſeruos poterant: vitæ necisq́ue poteſtatem habebant: quod etiam Caius lib. I. ſuarum Inſtitutionum refert Titu. III. Sed hoc tempore, nullis ho-

min

minibus, qui ſub Imperio Romano ſunt; licet ſupra modum, & ſine cauſſa legibus cognita, in ſeruos ſuos ſæuire. Hoc *reſcriptum vt obſeruaretur, curauit Diuus Hadrianus, qui Vmbricam quandam matronam, in quinquennium relegauit, quod ex leuiſſimis ancillas ſuas atrociſſimè tractaſſet.*

Diuus Marcus, *Euſtichiano* S.

QVod deſideras, an impetrare debeas, æſtimabunt iudices, adhibitis etiam his, qui contradicerent: id eſt, qui læderetur cõfirmatione adoptionis. Vale.

SCHOLION.

SCripſerat Euſtichianus ad Marcũ *Imperatorem:* An *adoptio non* Iure *facta à principe confirmari poſſit:* Et *hoc ipſum eſt, quod deſiderabat. Cuius epiſtola monitus fortè* Marcellus, *conſtituit adoptionem nõ iure factam, à* Principe *confirmari poſſe.*

Libri primi Finis.

EPISTOLARVM
IVRIS CIVILIS LIBER SECVNDVS.

Diuus Seuerus, Fabio Ciloni præfecto Vrbi S.

SERVOS, QVI AD ſtatuas confugerint, uel ſua pecunia emptos, ut manumittantur, de Dominis querentes audies: ſed & patronos egentes de ſuis libertis querẽtes, audies, & maximè ſi ægros ſe eſſe dicant, deſiderentq́ à libertis exhiberi. Vale.

SCHOLION.

HAec epiſtola docet, quæ crimina ſibi præfectura vrbi vindicet.

Digitized by Google

Verus, & Antoninus Imperato-
res, Iunio *Rufino præfecto*
vigilum S.

INſularios, & eos, qui negligenter ignem apud ſe habuerunt, potes fuſtibus, & flagellis cædi iubere. Eos autem, qui dolo feciſſe incendium conuincentur, ad Fabium Cilonem præfectum vrbi, amicum noſtrum remittere, & fugitiuos conquirere, eosq; dominis reddere debes. Vale.

SCHOLION.

AD *præfectum vigilum, quid pertineat: id eſt, quod ſit officium eius hic docetur. Quod apertè* Paulus *his verbis docet:* Cognoſcit præfectus uigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus & receptatoribus: niſi ſi qua tam atrox, tamq; famoſa ſit perſona, ut præfecto urbi remittatur.

Di

Diuus Marcus, & commodus, Scapulæ Tertylio S.

SI tibi liquidò compertum eſt, Aeliũ Priſcum in eo furore eſſe, ut cõtinua mentis alienatione, omni intellectu careat: nec ſubeſt ulla ſuſpicio matrem ab eo ſimulatione dementiæ occiſam, potes de modo pœnæ eius diſsimulare, cùm ſatis furore ipſo puniatur: & tamẽ diligentiùs cuſtodiendus erit, aut (ſi putabis) etiam uinculo coërcendus: quoniam non tam ad pœnam, quàm ad tutelam eius, & ſecuritatem proximorum pertinebit. Si uerò (ut plerumque aſſolet) interuallis quibuſdam ſenſu ſanior eſt, num fortè eo momento ſcelus admiſerit, nec morbo eius danda ſit uenia, diligenter explorabis: etſi quid tale compereris, conſules nos: ut æſtimemus, an pro immanitate facinoris, ſi cùm poſſet uideri ſentire, commiſerit, ſupplicio afficiendus ſit. Cùm autem ex literis tuis

Digitized by Google

cognouerimus tali eum loco, atque ordine eſſe, ut à ſuis, uel etiam in propria uilla cuſtodiatur: rectè facturus nobis uideris, ſi eos à quibus illo tempore obſeruãdus eſſet, uocaueris. Et cauſam tantæ negligentiæ excuſſeris: & in unumquemque eorum, prout tibi leuari, uel onerari culpa eius uidebitur, conſtitueris. Nam cuſtodes furioſis, nõ adhoc ſolum adhibẽtur, nequid pernicioſius ipſi in ſe moliantur: ſed ne aliis quoque exitio ſint. Quod ſi omittatur non immeritò culpæ eorum adſcribendum eſt, qui negligentiores in officio ſuo fuerint. Vale.

SCHOLION.

EX *hac epiſtola, præſertim ex illis verbis,* (Cùm ſatis furore ipſe &c.) *Notatur, non debere addi afflictionem afflicto. Quod probatur alterius* Imperato.*conſtitutione.l.tam dementis.*C.*de epiſc.aud.l.omnes.*

§.præ

*§.prætereá.C.de epiſco.& cleri.l.penul.C.de pœnis.*Item *reſcripto iureconſultorum probatur.l.penul.*Dig.*ad legem pompo.de parr.l.infans.*Dig.*ad legem* Corn.*de ſicca.*Item *autoritate* R*oma.pontif.c.ſi mulier.diſt.v.*

Imperatores Seuerus,& Antoninus Braduæ proconſuli Affricæ S.

CVm propriam iuriſdictionem legatis tuis dederis, conſequens eſt, ut etiam de ſuſpectis tutoribus poſsint cognoſcere,ut poſſeſsio bonorum:uel ſi cui damni infecti nó caueatur, ut is poſſidere iubeatur: aut uentris nomine in poſſeſsionem mulier,uel is, cui legatum eſt, legatorum ſeruandorum cauſſa in poſſeſsionem mittatur, mandari poteſt. Vale.

SCHOLION.

HIs *literis,autore* Marello *lib.*I.*de officio præſidis,conſtitutum eſt.* Cognitio-

Digitized by Google

nem de ſuſpectis tutoribus mandari poſſe: imò etiam mandata generali iuriſdictione, propter vtilitatem pupillorum, eam contingere.

Diuus Adrianus *Calliſtrato* S.

QVin peſsimum factum ſit eorum qui terminos, finium cauſſa poſitos, protulerunt, dubitari non poteſt. De pœna tamen eorum modus ex conditione perſonæ, & mente facientis, magis ſtatui poteſt. Nam ſi ſplendidiores perſonæ ſunt, quæ conuincuntur: non dubiè ſi occupandorum alienorum finium cauſſa id admiſerunt, poſſunt ad tempus, ut cuiuſq; patiatur ætas, relegari: id eſt, ſi iunior, in longius: ſi ſenior, in receſius. Si uerò alii negotium geſſerint, & miniſterio functi ſint, caſtigari, & ad opus publicum biennio damnari. Quòd ſi per ignorantiam, aut fortuitu lapides furati ſint, ſufficiet eos uerberibus cædere. Vale.

SCHO

SCHOLION.

Haec epiſtola latè termini moti materiam explicat. Cuius fortè ſententia motus Modeſtinus,*his verbis,de termino moto loquutus eſt:* Terminorum,*inquit*, auulſorum non mulcta pecuniaria eſt: Sed pro conditione admittẽdum coërctione tranſigendum eſt.*Vbi nota tranſigi verbum,pro punire accipi, iſtud etiam explicat Imperator* Alexander *in l.prima.*C.*de accuſationib.*

Diui fratres,Aemilio Tyroni S.

DE his, qui carcere effracto, euaſerunt, ſumendum eſt ſupplicium. Saturninus etiam probat,eos, qui de carcere eruperũt,ſiue effractis foribus, ſiue cõſpiratione cum cæteris, qui in eadem cuſtodia ſunt,capite puniendos. Quòd ſi per negligentiam cuſtodum euaſerũt, mitiùs puniri debent. Vale.

SCHOLION.

EFfractorum carcerum pœna ſatis hac epiſtola complexa eſt. Cuius autoritate motus Calliſtratus ita inquit, de effractoribus loquens: In eos, qui cum recepti eſſent in carcerem conſpirauerint, ut ruptis uinculis, & effracto carcere euadant: amplius quàm cauſſa, ex qua recepti ſunt repoſcit, conſtituendum eſt. Et quamuis innocentes ex eo crimine inueniantur, propter quod impacti ſunt in carcerem: tamen puniendi ſunt. Eos uerò, qui conſpirationem eorum deteruit, releuãdos. Ad quod facit. l. milites, ſecunda. §. eius. Digeſt. de re milit.

Domitius Labeo, Celſo ſuo S.

QVæro an teſtium numero, habendus ſit is, qui cum rogatus eſſet, ad teſtamentum ſcribendum, idem quoque cùm tabulas ſcripſiſſet, ſignauerit? Vale.

Inuen

Iuuentius Celſus, Labeoni ſuo S.

AVt non intelligo, quid ſit de quo me conſulis, aut ualde ſtulta eſt conſultatio tua. Plus enim quàm ridiculum eſt dubitare, an aliquis iure teſtis adhibitus ſit: quoniam idem, & tabulas teſtamenti ſcripſerit. Vale.

SCHOLION.

HIc apertè docetur, ſeruum publicum, teſtem in teſtamento eſſe poſſe, ad quod videtur facere, quæ ſcribit Iuſtinus *in l. viij. §. finali. C. qui teſtament. facere poſſunt. Item* Iuſtinianus *in §. oportet verò. in nouellis, de inſtrumentorum cautela & fide & cetera. Quod tanquam ſpeciale ſcriptum eſſe quidam tradiderunt. Nam generaliter ſecus eſt.*

Diuus Marcus, & Verus Cornelio Proculo S.

SI quando deſunt in ciuitate, ex qua pupilli oriundi ſunt, qui idonei ui-

deantur eſſe tutores, officium erit magiſtratuũ inquirere ex uicinis ciuitatibus honeſtiſsimum quemq;, & nomina præſidi prouinciæ mittere, non ipſos arbitrium dandi ſibi uindicare. Vale.

SCHOLION.

OFficium magiſtratuum, eorum ſcilicet, quibus à lege, Senatuſconſulto, decretis principum, conceſſum eſt dare, in dandis tutoribus, hîc explicatur. Quæ quidem datio legis eſt, & non iuriſdictionis. Quæ valet, etiam ſi aliter dederint, quam hîc cautum eſt l. eſt receptum. Dig. *de iuriſdictio. omnium iudicum. l. vbi, in fi.* Dig. *de tuto. &* Curato.

Diuus Seuerus, Cuſipio R*ufino* S.

OMnem me rationem adhibere ſubueniendis pupillis, cùm ad curam publicam pertineat, liquere omnibus uolo. Et ideo quæ mater, uel non petierit

tu

tutores idoneos filiis ſuis,uel prioribus excuſatis,reiectíſue,non confeſtim aliorum nomina dederit, ius non habeat uindicandorum ſibi bonorum inteſtatorum filiorum. Vale.

SCHOLION.

HOc *reſcripto motus* Vlp*ianus in l.ij.§. ſi mater.*Dig.*ad* Tertyll.*ſcribit*:Si mater non petierit tutores idoneos filiis ſuis, vel pluribus excuſatis, reiectíſve non confeſtim aliorum nomina ediderit:ius non habet uindicandorum ſibi bonorum inteſtatorum filiorum. F*acit l.omnẽ.& l.matres.* C.*ad* Tertyll.*& l.ſciant.* Dig.*de legit.hæred.*

Ἑρέννιος Μοδεστῖνος, Ἰγνατίῳ Δέξτρῳ χαίρειν.

Συγγράψας σύγγραμμα ὡς ἐμοὶ δοκεῖ χρησιμώτατον, ὅπερ πα-
ραίτησιν ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας ὠνόμασα, τοῦτο σοὶ πέπομφα.
ποιήσομαι δὲ ὡς ἂν οἷός τε ὦ τὴν περὶ τούτων διδασκαλίαν σαφῆ
ἀφηγούμενος νόμιμα τῇ τῶν Ἑλλήνων φωνῇ. εἰ καὶ οἶδα δυσφραστα
εἶναι αὐτὰ νομιζόμενα πρὸς τὰς τοιαύτας μεταβολάς, προσθήσω

δὲ τῶν

ἢ τῇ τῶν λεγομένων διηγήσει αὐτὰ τὰ τῶν νόμων ῥήματα, ἅπερ καὶ τούτου δεηθείη, ἵνα τήν τε τῶν λεκτέων καὶ τὴν τῶν ἀναγνωστέων χρῆσιν ἔχοντες τὸ ὁλόκληρον τοῖς δεομένοις καὶ τὴν ὠφέλειαν παρασχώμεθα. Λεκτέον τοίνυν πρῶτον, τίνας οὐ δεῖ χειροτονεῖσθαι. ἀπελευθερικοῖς ὀρφάνοις εὐγενεῖς οὐ δώσουσιν οἱ ἄρχοντες ἐπιτρόπους ἢ κουράτορας, εἰ μὴ παντελῶς ἀπορία εἴη κατὰ τὸν τόπον ἀπελευθέρων εἰσίν. ἀπελευθερικοῖς δὲ ἀπελευθερούς μόνους δεῖν δίδοσθαι τοὺς ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου ὄντας, θείου Μάρκου ὀρατίων κελεύει, ἐὰν δὲ δοθῇ, θειότατος Σεβῆρος τῶν ἀφηλίκων προνοούμενος, ὑπεύθυνον αὐτὸν εἶναι τῇ ἐπιτροπῇ, ἐὰν μὴ ἐμπροθέσμως δικαιολογήσηται ἀντέγραψεν. Οὐκ ἔξεστιν κουρατορεύειν μνηστῆρα μνηστῆς, ὡς ἡ σύγκλητος λέγει, χειροτονηθεὶς δὲ ὁ τοιοῦτος ἀπολυθήσεται. *Id eſt,*

Herennius Modeſtinus, Ignatio Dextro S.

VTiliſsimum, ut mihi uidetur, opus confeci, quod inſcripſi de Tutelæ & Curæ excuſatione, idq; ad te miſi: in quo quantum potui apertè eum tractatum explicui, docens Græcè noſtra iura, quæ quàm difficulter uertãtur, nõ ignoro. Dumq; ea explico addo ſicubi opus eſt, ipſa legum uerba, ut his, qui dicendi, & legendi uſum habent, hoc deſiderantibus perfectum auxilium præſtare poſſimus.

ſimus. Principiò igitur dicendum eſt, quos creari non oporteat. Libertinis pupillis magiſtratus ingenuos tutores, aut curatores non dent, præterquàm ſi maxima inopia ſit eo loci libertorum. Iubet enim Diui Marci oratio, ut libertinis, qui in eodem oppido ſint, liberti dẽtur. Sed ſi detur ingenuus, Diuus Seuerus minoribus cõſulens reſcripſit, obnoxiũ fore tutelæ, niſi intra conſtitutum tempus allegauerit excuſationem. Non licet ſponſo ſponſæ curatorem eſſe, ut ſenatus ſenſuit, creatus autem hîc remouendus eſt. Vale.

SCHOLION.

HAec interpretatio eſt Antonij Auguſtini Iuriſconſulti Hiſpani, haud certè, ineruditi. Qui ſuam ipſius tranſlationem interpretatur ipſe, libro ad Modeſtinum ſingulari.

Diuus

Diuus Seuerus, & Antoninus Augu-ſti Narciſſo S.

AB auo materno tutor datus, neceſſe non habuiſti excuſari, cùm ipſo iure non tenearis. Si igitur adminiſtrationi te non miſcuiſti, potes eſſe ſecurus. Vale.

SCHOLION.

HAec verba carent penitus difficultate.

Imperator Hadrianus, *Bitraſio* Pollioni *Legato* Ludugnenſi S.

SI Clodius Macer, quamuis filiuſfamiliâs ſit, idoneus tutor eſſe uidebitur, pater autem eius idcirco cauere nõ uult, ut filium ſuum tutela eximat, & in hoc artificio perſeuerauerit, exiſtimo te huic fraudi rectè occurſurum, ut & filius, & ipſe

ipſe ad tutelam liberorum Clementis gerendam compellantur. Vale.

SCHOLION.

CLementis, *Proprium nomen patris pupillorum.* Compellantur, *ſubaudiendum putat* Accurſ. *captis ſcilicet pignoribus. Ad quod facere videtur.* §.*penulti.* Inſtitu.*de ſatiſdat.tuto.* Conſtitutionibus, *inquit*, *exprimitur*: ut niſi caueant tutores, pignoribus captis coërceantur. *Quo loco* Iuſtini.*coërceantur verbo, vtitur pro compellantur, quo vtitur hîc* Hadrianus. *Ad quod facit, quæ ſcribuntur in l.prima, in princip.*Digeſt. *de adminiſtra. tuto.* Item.*l.iiij.*§.*iij.* Digeſt.*de damno infecto.*

Neſcennius Apollinaris Iulio *Paulo* S.

MAter filium ſuum pupillum, uel quiuis alius extraneos, extraneum æquè pupillum ſcripſit hæredem, & Titio

tio legatum dedit,cumq́; eidem pupillo tutorem adſcripſit. Titius confirmatus, excuſauit ſe à tutela. Quæro, an legatũ amittat? etſi teſtamento quidem tutor non ſit ſcriptus, legatum tamen acceperit, datusq́; à prætore excuſet ſe: an æquè repellendus ſit à legato? & an aliquid interſit, ſi à patre, uel emancipato pupillo, tutor datus ſit, uel puberi curator? Vale.

Paulus, *Neſennio Apollinari* S.

QVi non iure datus uel curator, uel tutor à patre eſt, cõfirmatus à prætore excuſationis beneficio uti maluit: repellendus eſt à legato: Idq́; & Scæuolæ noſtro placuit. Nam & prætor, qui eum confirmat tutorem, defuncti ſequitur iudicium. Idem in matris teſtamẽto dicendum eſt. Similis eſt matri, quiuis extraneus, qui pupillum hæredẽ inſtituit, eiq́; & in tutore dãdo proſpicere uoluit: quales

les ſunt alumni noſtri. Rectè ergo placuit, eum qui recuſat onus, quod teſtator reliquit, & ab eo quod petit, quodq́ idem dedit, repelli debere. Non ſemper tamen exiſtimo eum, qui onus tutelæ recuſauit, repellendum à legato: ſed ita demum, ſi ei ideo adſcriptum appareat, quòd eidem tutelam filiorum iniunxit: non quòd alioquin daturus eſſet, etiam ſine tutela. Id apparere poterit ſi poſuerit teſtamento: legatum adſcriptum, codicillis uerò poſtea factis tutorem datũ. In hoc enim legato poteſt dici, nõ ideo ei relictum, quia & tutorẽ eſſe uoluerit teſtator. Sed hæc nimium ſcrupuloſa ſunt, nec admittẽda: niſi euidenter pater expreſſerit uelle ſe dare, etiam ſi tutelam nõ adminiſtrauerit. Semper enim legatũ, aut antecedit, aut ſequitur tutelã. Val.

SCHOLION.

IDem *Paulus lib.* VII. *Quæſtionum hæc interpretatur*. Ex his, *inquit*, apparet, non

eſſe his ſimilem eum, quem prætor tutorem dedit, cùm poſſet uti immunitate. Hic enim nihil contra iudicium fecit teſtatoris. Nam quem ille non dedit tutorem, eum uoluiſſe tutelam adminiſtrare filii dicere non poſſumus. *Quid ſi ſe non excuſauerit, ſed adminiſtrare noluerit: contentus quòd cæteri idonei ſint*? Et hic poterit conueneri, *inquit idem Paulus*, Si ab illis res ſeruari non potuit. *Sed hoc non quærendum eſt, ſed contumacia punienda eſt eius, qui quodãmodo ſe excuſauit. Multò magis, quis dicere debebit indignum iudicio patris, qui vt ſuſpectus remotus eſt à tutela.*

Diuus Hadrianus, *Iulio Secundo* S.

ALiâs reſcriptum etiam eſt, nõ eſſe utique epiſtolis eorum credendũ, qui quaſi damnatos ad præſidem remiſerunt. Idem & de eirenarchis præceptũ eſt: quia non omnes ex bona fide elogia conſcribere compertum eſt. Sed & caput

put mandatorum extat, quod Diuus Pius, cùm prouinciæ Aſiæ præerat, ſub edicto propoſuit, ut irenarchæ, cùm appræhenderint latrones, interrogent eos, de ſociis & receptatoribus, & interrogationes literis incluſas, atque obſignatas ad cognitionẽ magiſtratus mittant. Igitur qui cum eo elogio mittuntur, ex integro audiendi ſunt, etiam ſi per literas miſsi fuerint, uel etiam per irenarchas perducti. Sic & Diuus Pius, & alii principes reſcripſerunt, ut etiam de his qui requirendi annotandi ſunt, non quaſi pro damnatis, ſed quaſi re integra quæratur, ſi quis erit, qui eos arguat. Et ideo, cùm ἀνάκρισιν faceret, iuberi oportet uenire eirenarchã: & quod ſcripſerit, exequi. Et ſi diligenter ac fideliter hoc fecerit collaudandum eum. Si uerò parum prudenter, non exquiſitis argumentis: ſimpliciter denotare eirenarchã minùs retuliſſe. Sed ſi quid malignè interrogaſſe, aut non dicta retuliſſe, pro

dictis eum non compererit, uindicet in exemplum, ne quid & aliud poſtea facere moliatur. Vale.

Diuus Hadrianus, Statilio Secundo legato S.

QVoties quis cuſtodiam militum euaſerit, exquiri oportet, utrum nimia negligentia militum euaſerit, an caſu: & utrum unus ex pluribus, an unà plures. Et ita demum afficiendos ſupplicio milites, quorum cuſtodiam euaſerint: ſi culpa eorum nimia deprehendatur. Alioquin pro modo culpa in eos ſtatuendum eſt. Vale.

SCHOLION.

NImia negligentia, *Accurſius ſemper exiſtimauit nimiam negligentiam, latam culpam eſſe, per l. magna.* Dig. de *verbo. ſig.* Item *l. prima. §. is quoque. in fine.* Digeſt. de *oblig.*

*oblig.& actio.*Supplicio, H*ic quæri poteſt, Cùm varia genera ſint ſupplicij, quo ſupplicio afficiendus ſit?* Accurſius *vltimo, ſubaudit.l.vltimum.de pœnis.l.fi. de cuſtodi.& exhibit. Alij verò moti.l. ad commentarienſem. C.de cuſtodia:&c.exiſtimãt de ſupplicio,quo erat afficiendus accuſatus.*

Hadrianus Saluiano legato Aquitaniæ S.

IN eum,qui cuſtodiam dimiſit,aut ita ſciens habuit,ut poſsit cuſtodiam euadere,animaduertendum eſt. Si autẽ per uitium,aut deſidiam cuſtodis id euenerit, caſtigare eũ oportet, & in deteriorẽ militiã dare.Si uerò id fortuitò admiſerit,nihil in eum ſtatuere oportet. Vale.

SCHOLION.

DEſidiam, *etſi minima negligẽtiæ culpa dicatur,tamen deſidia non eſt lata cul-*

pa, eſt deſidia, quæ græca voce, ἀεργία *appellatur, vitium ignauiæ.* Cic. lib. offic. 1. Nihil *autem magis cauendum eſt ſenectuti, quàm ne langori ſe, deſidiæq́; dedat.*

Pater *filio* S.

SCio, mi fili, quòd pro tua prudentia inuigilabis hæreditati delatæ tibi à Lucio Titio. Vale.

SCHOLION.

SI *adierit filius hæreditatem,* Q*uæſitũ eſt, an iuſſu patris videatur adiiſſe:* Reſpõdet *Vlpianus his verbis:* Puto iuſſu patris filiũ adiiſſe. *Sed quid ſi ita ſcripſiſſet:* Si expediat adire, adito? *Aut,* ſi putas expedire, adito: *An iuſſu etiã eius, adire videatur.* Erit, *inquit, Vlpianus* , iuſſu aditum. H*æc explicat apertius* A*phricanus, in l. eum qui duobus.* §. *primo.* Dig. *de acqui. vel omit. hæred. facit l. ſi filius. de tutelis.*

Diuus

Diuus Marcus, & Commodus Piſoni S.

CVm conſtiterit apud te, piſo chariſſime, Iulium donatũ poſteaquàm conterritus aduentu latronum profugerat in uillam ſuam, uulneratum eſſe: mox teſtamẽto facto purgaſſe officium ſeruorum ſuorum: nec pietas pro ſeruis, nec ſolicitudo hæredis obtinere debet, ut ad pœnam uocentur, quos ipſe dominus abſoluit. Vale.

SCHOLION.

PIſoni, *Qui præſes prouinciæ erat.* Auto. Accur. Ex *qua ſcriptura annotare licet: In domini arbitrio eſſe, purgare ſeruorum innocentiam.* Solicitudo hæredis. *Quæ conſiſtit in vindicanda morte teſtatoris, vt* Imperatoris *Conſtitutione in l. in ipſius.* C. *familiæ erciſcun. conſtat.*

Plotiana, Celſo ſuo S.

LVcius Titius his uerbis ita cauit: *Si quid tabulis alióve quo genere ad hoc teſtamentum pertinens reliquero, ita valere volo.* Quæro, an codicilli, qui ante hoc teſtamentum ſcripti ſunt, debeant rati eſſe? Vale.

Iubentius Celſus, Plotianæ S.

HAec uerba: *Si quid ad hoc teſtamẽtum pertinens reliquero, valere volo*: etiam ea, quæ ante teſtamentum ſcripta ſunt, comprehendere conſtat. Vale.

SCHOLION.

H*Inc adnota, verbum temporis futuri, comprehendere præteritum, vt in l. verbum erit.* Digeſt. *de verborum ſignificatione. Quo loco Pomponius inquit:* Verbum, erit, interdum etiam præteritum, nõ ſolùm

lùm futurum tempus demonſtrat: quod eſt nobis neceſſarium ſcire.

Sempronius, Proculo Nepoti ſuo S.

BInæ tabulæ teſtamenti eodem tempore exemplarii cauſſa ſcriptæ (ut uulgò fieri ſolet) eiuſdem patriſſamiliâs proferuntur. In alteris centum, in alteris quinquaginta aurei Titio legati ſunt. Quæro, utrũ centum & quinquaginta, an centum duntaxat habiturus ſit? Vale.

Proculus, Sempronio S.

IN hoc caſu hæredi parcendum eſt. Ideoq; utrumque legatum nullo modo debetur, ſed tantummodo quinquaginta aurei. Vale.

Licinius Locuſta, Proculo ſuo S.

CVm faciat conditionem in prælegãda dote, ut ſi mallet uxor man-

cipia, quæ in dotem dederit, quàm pecuniam numeratam reciperet: ſi ea mancipia uxor malit, nunquid ea etiam mancipia, quæ poſteà ex his mancipiis nata ſunt, uxori debeantur. Quæro? Vale.

Proculus, Locuſtæ ſuo S.

SI uxor malit mancipia, quàm dotem accipere: ipſa mancipia, quæ æſtimata in dotem dederit, non etiam partus mancipiorum ei debebuntur. Vale.

SCHOLION.

FAcilius *explicat* Iabolenus *in l.in his.* §. *mancipia.* Dige. *Soluto matrimonio.* Ait, Mancipia in dotem æſtimata accepiſti: pactum conuentum deinde factum eſt: ut diuortio facto tantidē æſtimata redderes: nec de partu dotalium ancillarū mentio facta eſt. Manebit, *inquit* Labeo, partus tuus: quia is pro periculo mancipio

piorum penes te eſſe debet. *Idem Pomponius lib.* XIIII. *Ad Sabinum Ait*: Si mancipia in dotem data accepiſti, & pactum conuentum factum eſt: ut tantidem æſtimata, diuortio facto redderes: manere partum apud te, Labeo ait: quia & mancipia tuo periculo fuerunt. *Hæc ſcripta ſunt in l.xviij.Dig.de iur.dotium.*

Miles, Sorori ſuæ S.

SCire te uolo, donare me tibi aureos octingentos. Vale.

SCHOLION.

EX *hac ſcriptura deberi, Papinianus ait, fideicommiſſum ſorori. Nec aliud probandum in cuiuſlibet ſuprema voluntate. Placet enim conſiſtere fideicommiſſum, ac ſi defunctus cum ea loquatur, quam precario remunerat. Vt tamen hanc vim habeat, vult Accurſius, factam eſſe coram quinque ſaltim teſtib*

*ſtibus mouetur autoritate conſtitutionis poſitæ in l.fin.§.finali.*C.*de codicil.* & *in l.in epiſtola.*C.*de fideicommiſ.*

Imperator Alexander Auguſtus, Claudiano Iuliano Præfecto Vrbi S.

SI liquet tibi, Iuliane chariſsime, auiá ob interuertendam inofficioſi querelam, patrimonium ſuum donationibus in nepotem factis exinaniſſe: ratio depoſcit, id quod donatum eſt, pro dimidia parte reuocare. Vale.

SCHOLION.

EX *hac habes, donationem inofficioſam, vſque ad quartam, quam legitimam appellare licet, reuocari poſſe.*

Lucius Titius, filio ſuo S.

CErtus de tua pietate, fidei tuæ committo, ut des, præſtes illi, & illi certam

tam pecuniá & Lucrionem ſeruũ meũ liberum eſſe uolo. Vale.

SCHOLION.

A Serbidio Scæuola quæſitum eſt: Cùm filius nec patris bonorum poſſeſsionem acceperit, nec hæres ei extiterit: an ex epiſtola fideicommiſſum, & libertatem præſtare debeat? Reſpondit Scæuola his verbis: Etſi neque hæreditatem adiiſſet, neque bonorũ poſſeſsionem petiiſſet, & nihil ex hæreditate poſsideret, nihilominus tamen & ex ſtipulatu ab hæredibus patris, & ex fideicommiſſo ab iis, quorum intereſt, quaſi debitorem conueniri poſſe: maximè poſt conſtitutionem diui Pii, quæ hoc induxit.

Pater, Mæuio filio S.

MAeui fili, quòd iam tibi maximam partem facultatum dederim, conten-

ten

tentus eſſe debes fundo Semproniano, cum ſuis inhabitantibus, id eſt, familia, & quæ ibi erunt. Argentũ autem omne, & ſupellectilem quancunque habeo, tibi dono, & quicquid in prædio Semproniano habeo. Vale.

SCHOLION.

QVæſitum à Paulo eſt, de nominibus debitorum, & nummis. Et an ſupellex, quæ in alijs prædijs, vel domibus eſſent, ad Mæuium pertinerent? & an ſerui, quos ex eo fundo alijs legauit. Reſpondit Paulus: Nomina & numos non videri deberi: niſi manifeſtè de his quoque legandis defuncti voluntas approbaretur. Seruos ex eiſdem fundis alijs datos diminuiſſe filij legatum. De argento & ſupellectile, quæ alibi eſſet, cum cuius notio eſt æſtimaturum: vt id obtineat, quod teſtatori placuiſſe à legatario probabitur. Ex quo reſponſo ſatis apertè colligi poteſt, quod in iure tam pontificio, quàm ciuili vulgatiſſimum eſt:

Ge

Generi per ſpeciem derogari: *quæ regula apertè explicatur in l.vxorem.§.feliciſsimo. de lega.iij.Item in l.ij.de triti.vino & oleo legato.vbi inquit Pomponius:*Cum alii penũ, alii uinum legatum eſſet,excepto uino, omne penum ad alium legatarium pertinebit.*Item in l.prima, de auro, & argento legato,& l.ſeruo.de pecunia legata.facit l.legata,in principio.* Dig.*de ſupellectile legata.*

Diuus Pius,Apollino S.

EI qui uxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidiſſe ſe non negat, ultimum ſupplicium remitti poteſt. Difficillimum enim eſt,iuſtum dolorem temperare: & magis, quia plus fecerit,quàm quia ſe uindicare non debuerit, puniendis: Sufficit igitur ſi humili loco ſit, in opus perpetuum tradi:ſi quidem honeſtior,in inſulam relegari. Vale.

SCHO

IMperatores Marcus, & Antoninus, & Commodus filius, referēte Papiniano, breuius docuerūt: Maritum, qui vxorem in adulterio deprehenſam, impetu tactus doloris interfecit: non vtique legis Cornelia, de Siccarijs pœnam accipere. Cæterùm aliqua pœna punitur, vt ſcriptum eſt in l. prima. §. fi. de ſicca. Item in l. ſi quis in graui. §. iij. ad Sylla.

Diui fratres, Pollioni S.

INceſtæ nuptiæ confirmari nō ſolent: & ideo abſtinenti à tali matrimonio, pœnam præteriti delicti ei qui nondum reus poſtulatus eſt, remittimus: poſt diuortium autem, quod cum nouerca bonafide priuignus fecerit, nō eſſe crimen inceſti admittendum. Inceſtum autem, quod per illicitam matrimonii coniunctionem admittitur, excuſari ſolet ſexu, uel ætate, uel etiam puniendi correctione

ne

Digitized by Google

ne,quæ bonafide interuenit:utique ſi error allegatur:& faciliùs, ſi nemo reum poſtulauerit. Vale.

SCHOLION.

Diui fratres remiſerunt crimẽ inceſti duplici de cauſa. Primùm propter ſexum: Nam, vt etiam optimè Accurſius, Iuris ignorantia ſexui muliebri eſt permiſſa: nec nocet fœminis, ſi ius ignorauerint, ſicut viris. l. x i. in fin. Dig. de iur. fiſci. Item ad hoc facit Imperatoris conſtitutio ſcripta in l. fina. C. de iur. & fact. igno. Deinde propter ætatem Claudiæ remiſerunt: ſed diſtrahi coniunctionem illicitam iuſſerunt. Cùm aliâs adulteri crimen, quod poſt pubertatem relinquitur, non excuſetur ætate.

Amicus, Papiniano S.

Quidam accuſare uolebat adulterii mulierem, & poſtulabat ne ſibi

computarentur dies, quos in cuſtodia fuiſſet. Me autem hoc admittente, extitit qui mihi contradiceret: cuius opinionem, an tu probes, rogo maturiùs mihi reſcribas. Vale.

Papinianus Amico S.

OPinionem quidem tuam, & uerba legis, & ſentẽtia adiuuant: cui placuit utiles dies accuſatori computandos eſſe: id eſt, quibus potuit accuſationis ſolẽnia implere. Quare ſine dubio, dies, quibus quis in cuſtodia fuerit, extra computationem utilium dierum exiſtimanti tibi conſtitutos, contradici non debuit. Vale.

SCHOLION.

DIes ad accuſandum de adulterio conſtitutos, vtiles eſſe hîc docetur: ſunt autẽ, ſexaginta, & quatuor menſes, vt optimè explicat,

cat Imperator Sebaſtianus in l.ſexta.C.ad legem Iuliam de adulterijs: ubi inquit, Iure mariti adulterii accuſare uolenti ſexaginta dies utiles computantur: quibus in publico eius facultas fuerit, apud quẽ reus, uel rea poſtulari poteſt. Et cũ præterierint iſti dies utiles, maritus quoque iure extranei agere poteſt. De *quatuor menſibus loquitur.l.ſi maritus.in prima.§.hæc in maritis.*Dig.*ad legem* Iuliam,*de adulte.*

Τίτια κληρονόμοις μοῦ, χαίρειν.

Βούλομαι βεβαῖα εἶναι τὰ ὑποτεταγμένα. ὅσα ἔφθασα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Παμφίλου πεποιημένη. ἐὰν Σεία ἡ σύντροφός μου κληρονόμος μὴ γένηται ἐξ οὗ γέγραφα αὐτὴν μέρους, βούλομαι αὐτῇ δοθῆναι τὴν σύνθεσιν τὴν περὶ κολώνην. *Id eſt,*

Titia,Hæredibus meis S.

VOlo, ut ſubiecta omnia rata ſint, quæcunque autẽ in Pamphili nomen contuliſſe uiſa ſum. Si Seia collactanea mea hæres ex parte, qua eam ſcri-

pſi, non erit: uolo ei dari lacifundum circa colonam. Vale.

SCHOLION.

Ex hac quæſitum eſt: Cum Seia liberta omiſſa parte hæreditatis ei teſtamento adſcripta, ex codicillis fideicommiſſum, id eſt σύγκτησιν circa κολώνην eligat: an ſi Pamphilus ex cauſſa fideicõmiſſi eadem prædia vendidiſſet, doli mali exceptione ſubmoueri debeat? Reſpõdet Scæuola: Tranſlatum videri fideicommiſſum prædiorum, id eſt σύγκτησιν, quæ eſt circa Colonam.

Claudius Seleucus, Papiniano ſuo S.

MAeuius in adulterio Semproniæ damnatus, eandem Semproniam non damnatam duxit vxorẽ, qui moriens eam hæredem reliquit. Quæro, an iuſtum matrimoniũ fuerit: & an mulier ad hæreditatem admittatur? Vale.

Papi

NEque tale matrimonium ſtat, neq; hæreditatis lucrum ad mulierem pertinet: ſed quod relictum eſt, ad fiſcum perueniet. Sed & ſi talis mulier uirũ hæredem inſtituerit, & ab eo quaſi ab indigno hæreditatem auferri dicimus. Vale.

SCHOLION.

OBſeruare hîc, inter cætera vnum adprimè notandum poſſumus. Quod aufertur ab aliquo, tanquam ab indigno, id ad fiſcũ peruenire. Quam regulam ſatis probant hæc Vlpiani verba: Meminiſſe, *inquit in l. octaua, Dig. de inofficioſo teſtamen.* oportet, eum qui teſtamentum inofficioſum improbè dixit: ſi non obtinuit, id quod in teſtamento accepit, perdere: & id fiſco vendicari, quaſi indigno ablatum. *Ad hoc etiam facit. l. v. §. finali.* Dig. *de ijs, quibus vt indigni. Quæ tamen regula non ſemper vera:*

Siquidem in multis iuris articulis patitur exemptionem. Quas tamen diligenti lectori, è toto corpore iuris perquirẽdas relinquo.

Iulius Paulus, Auffidio S.

QVæſiſti, ſi ita teſtamento cautum eſſet: *Stichus ſi rationẽ reddiderit, cũ contubernali ſua liber eſto, eiſq; hæres decem dato.* An ſticho mortuo antequam rationes redderet, uel paria, uel reliqua habente, libera ſit mulier: & an de legato idem accipiamus libertate data ſi rationẽ reddiderit? Hanc conditionem rationum reddendarum, ut iuſſus uideatur reliqua reddere, ſi qua habet cum fide actus ſui: quæ ſi nulla ſunt, purè accepiſſe libertatem uidebuntur: etſi poſt aditam hæreditatem deceſſerit, competente libertate etiam legatum eos ſecutum eſt. Quòd ſi cùm adhuc reliqua haberet, deceſſerit: ſub eadem conditione, & contubernalis eius libertatem accepiſſe uidebi

debitur,& defecta uidebitur conditione. Sed non ineleganter illud dicetur: Stichum quidem ſub conditione manumiſſum,contubernalem autem eius purè, & illam coniunctionem non ad coniungendam conditionem, ſed ad neceſsitudinem demonſtrandam pertinere:tunc demum pro impleta habetur conditio, cùm per eum ſtat: qui, ſi impleta eſſet, debiturus erat. Vale.

SCHOLION.

HInc colligere poſſumus: Conditionem appoſitam vi,in perſona alterius,per dictionem cum,de æquitate non intelligitur repetita.

Neſennius apollinaris,Iulio Paulo S.

EX facto, domine, eiuſmodi ſpecies incidit,Titius filias ſuas tres numero æquis ex partibus ſcripſit hæredes,&

à ſingulis Legata inuicem dedit: ab una tamen ita legauit, tam cohæredibus eius, quàm extraneis, ut falcidiæ locus ſit: quæro an aduerſus cohæredes ſuas, à quibus & ipſa accepit, uti poſsit falcidia? etſi non poſsit, uel doli exceptione ſubmouenda ſit, quemadmodum aduerſus extraneos computatio falcidiæ iniri poſsit. Vale.

Iulius Paulus, *Neſennio Apollinari* S.

ID quidem, quod à cohærede legatorum nomine percipitur, non ſolet legatariis proficere, quo minùs falcidiam patiatur: ſed cùm is, qui legatum præſtaturus eſt, ab eodem aliquid ex teſtamento petit, non eſt audiendus, deſyderás uti aduerſus eum falcidiæ beneficio, ſi id, quod præcepturus eſt, ex uoluntate teſtatoris, ſuppleat quod deducere deſiderat. Planè cæteris legatariis non uniuerſum, quòd cohæredi præſtat imputabit:

bit: ſed quantum daturus eſſet, ſi nihil ab eo perciperet. Vale.

SCHOLION.

HIc ponitur caſus, quo quid in quartam non imputetur, docetur. Id *quod iure prælegati percipitur, in falcidiam non imputatur.* Niſi *reſpectu eius, à quo percipitur.* Ad *quod facere videtur l. quod autem.* Dig. *ad legem falcidiam.*

Diuus Pius *Germano* S.

EXemplum libelli dati mihi à Domitio Syuano, nomine Domini Syuani patrui, ſubiici iuſsi: motus querela eius, qua ſignificauit filium ſuum ingenuũ, iuuenem admodum, raptum atque concluſum, mox uerberibus, ac tormentis uſque ad ſummum periculum afflictum, Germane chariſsime, uelim audias eum, etſi compereris hæc ita admiſſa, rem ſæuerè exequaris. Vale.

NOn tantùm raptus crimen lege Iulia punitur, Autore Martiano, qui ait: Qui uagãtem mulierem rapuerit, uel nuptã, ultimo ſupplicio punitur. *Sed etiam hoc diui Pij reſcripto. Quo eum puniendum, qui puerum ingenuum rapuit, Diui Pij fuit ſentẽtia, vt Vlpianus hac epiſtola interpretatur.*

Marcus, Creditoribus S.

OPtimum eſt, ut ſi quas te putas habere petitiones, actionibus experiaris, interim ille in poſſeſsionem debet morari, tu petitor eſſe. Vale.

SCHOLION.

HOc reſcripto, quod ſit creditorum officium in exigendo debito, Marcus docet. Ad hoc putat Calliſtratus referri hanc epiſtolã dicẽs: Creditores ſi aduerſus debito

tores ſuos agant, per iudicem id quod deberi ſibi putāt repoſcere debēt. Alioquin ſi in rem debitoris ſui intrauerint, id nullo concedente, Diuus Marcus decreuit, ius crediti eos non habere. *Putat tamen Accurſius ſubintelligendum eſſe, ius crediti eos non habere, in re ſcilicet, quam acceperunt.* De *quo inter* Docto. *magna controuerſia eſt.*

Imperatores Seuerus, & Antoninus,
Cocceio Campano S.

TEſtamentum ſecundo loco factum, licet in eo certarum rerum hæres ſcriptus ſit, perinde iure ualere, ac ſi rerum mentio facta non eſſet, ſed teneri hæredem ſcriptum, ut contentus rebus ſibi datis, aut ſuppleta quarta ex lege falcidia, hæreditatem reſtituat iis, qui priore teſtamento ſcripti fuerant, propter incerta fideicommiſsi uerba, quibus ut ualeret prius teſtamentum, expreſ

expreſſum eſt: dubitari non oportere. Et hoc ita intelligendum eſt, ſi non aliquid ſpecialiter contrarium in ſecundo teſtamento fuerit ſcriptum. Vale.

SCHOLION.

H*Ac epiſtola motus fuit* Martianus *hæc conſtituere.* Si quis priore facto teſtamento, poſterius fecerit teſtamentũ: etiam ſi ex certis rebus in poſterioribus tabulis hæredes inſtituit, ſuperius tamẽ teſtamentum ſublatum eſt. H*inc Doctores, licet barbarè, doctè tamen, & ſubtiliter, colligunt. Si confirmatum non poteſt confirmari, agitur ex confirmante, non ex confirmato.* N*on me carpas, optime lector, ſi nihil prorſus immutem.* N*am ea præcipuè fuit conſilij mei ratio, vt tantum colligerem, & quæ in diuerſis locis erant poſita, in vnum locum, velut ſtagnum collocarentur: quò facilius vti, & frui illis poſſes.* N*on enim hîc aut interpretis officio, aut eius, qui aliquid tãquam nouum*

in

in lucem edit fungor. Quamobrem anxiè peto, contendóq; omnia boni, æquíq; cõſulas: quò fauor tuus animos noſtros ad maiora, quæ à laboribus magnis te liberare poſsint incendat.

Titius, Cornelio hæredi ſuo S.

A Te peto Corneli, quoniam ad te deuoluta eſt pars matris meæ, itẽ pars Sempronii curatoris quondã mei, contraria fortuna uſi, & per hoc totus as meus, apud te eſſe ſperatur, uti reddas, reſtituas Caio Seio uncias quatuor. Vale.

SCHOLION.

Quæſitum fuit: Cùm Sempronius in integrum reſtitutus ſit ab imperatore, à quo fuerat deportatus, & adierit hæreditatẽ eius, qui rogauerat: an is quoque rogatus ſit, vt ex ſua portione reſtituat hæreditatem? Scæuola huic quæſtioni ita ſatisfacit: Sempro

pronium quidem non proponi rogatũ: Cornelium autẽ hæredem debere pro rata portione maternarum defuncti rerum, reſtitutionem Seio facere. Hîc Bartolus, *vt illi moris eſt, in compendium tale reducit, vtinam poſitè, & eleganter.* Defectus, *inquit,* cauſſæ de futuro facit legatũ deficere. *Non abs re, optime lector, id à me in multis epiſtolis obſeruatum eſt, quod ipſius* Bartoli *argumenta è verbo ad verbũ hîc tranſcripſerim, volo enim te admonitum eſſe, non tam detractandum eſſe in* Bartolum, *& alios veteres iuris interpretes, vt quotidie ſolent hodie plerique clamitare.* Nam *etſi in oratione multùm, & ſæpiſſimè fallantur, vides tamen ingenij acumen.* Non *hæc dico, vt viros* Doctos, *& procliues in carpendis autoribus reprehendam: ſed ne motus illorum tantùm voce, mox in illos clamites, & ſuum honorem illis detrahas.* Videto *prius quamobrem, & qualiter à* Doctis *carpantur.*

Saluius, Ariſto Iuliano ſuo S.

Qui

QVi filium emancipatum habebat, præterito eo patrem ſuum, & extraneum hæredem inſtituit, & patri legatum dedit: filius contra tabulas bonorum. petit. Quæro, ſi aut uterque hæreditatẽ adiiſſet, aut alter ex his, aut neuter, an, & quantum legatorum nomine patri debeatur? Vale.

Iulianus, Saluio S.

SAepe animaduerti hanc partem edicti, qua emancipatus accepta contra tabulas bonorum poſſeſsione, liberis & parentibus legata præſtare iubetur, habere nullam reprehenſionẽ. Nam ſi dodrans legatus ſit, plus habiturus eſt is, cui legatum erit, quàm emãcipatus. Decreto itaque iſta temperari debebunt, ut hæreditatis partem emancipatus præſtet: ita, ne ſcriptus hæres amplius habeat, quàm emancipatus: & legatorum modus temperetur, ut nihil plus ex le-

gatis

Digitized by Google

gatis ad aliquem perueniat: quàm apud emancipatum bonorũ poſſeſsionis nomine remanſurum ſit. Vale.

SCHOLION.

R*ationem adfert elegantiſsimam Tryphoninus his verbis:* Nam, *inquit*, ſecundum conſtitutionem Diui Pii ad Tuſcium fuſcianum Numidiæ legatũ, placuit parentes, & liberos hæredes quoque inſtitutos tueri, uſque ad partem uirilẽ, exemplo legatorum: ne plus haberẽt ex inſtitutione tales perſonæ: quàm ad eũ peruenturum eſſet, qui contra tabulas bonorum poſſeſsionem accepiſſet. H*ic quæri poteſt: virilis portio, quemadmodum accipienda ſit: Cui Vlpianus exemplis ſatisfacit.* Pone, *inquit*, duos eſſe, qui contra tabulas bonorum poſſeſsionem accipiãt: unum eſſe ex liberis parentibusq́ꝫ uirilis tertia erit portio. Sed ſi tres ſint, qui contra tabulas bonorum poſſeſsionem,

acce

acceperunt quarta erit, uirilis. *Ad hunc locũ referre quæ ſcripta ſunt in l. virilis.* Dig. *de verbo. ſignifica.* Virilis, *inquit*, appellatione, interdum etiam totam hæreditatem contineri, dicendum eſt. *Item referas huc. §. ſui autem. l. vnicæ.* C. *de cadu. tollẽ.*

Sempronius, Zoilo *Liberto* S.

OB merita tua, fidemq́ tuam, quam mihi ſemper exhibuiſti, concedo tibi liberam teſtamenti factionẽ. Vale.

SCHOLION.

QVæſitum eſt: Cùm Sempronius filius patroni Zoili talem epiſtolã miſiſſet: an patroni filio, nihil relinquere debeat: Paulus reſpondit: Eum libertum, de quo quæritur, liberam teſtamenti factionem cõſecutum non videri. Cui reſponſo è diametro pugnare videtur Imperatoris *conſtitutio poſita in l. fina.* C. *de bonis libertorum. Quam antinomiã va-*

rij variè conciliante. Quæ tamen magis literæ congruit, à me ſemper probata eſt vera.

Alexander Auguſtus, *Iulio Marillo* S.

SI libello dato, aduerſarius tuus ueritatem in precibus ab eo datis non adiecit, ſubſcriptione uti non poteſt: imò ſi accuſatus fuerit, etiam pœnam ſufferre debet. Vale.

SCHOLION.

HOc *reſcripto, vt autor eſt* Modeſtinus, *obreptores puniũtur, tanquam falſarij. Ait enim*: Si quis obrepſerit præſidi prouinciæ, tam per acta, quàm per libelli interpellationem, nihil agit: imò ſi accuſatus fuerit, pœnam temeratoris luit: perinde enim punitur, atq; ſi falſum fecerit. *Sunt enim pleraque de ea reſcripta, inter quæ eſt iſtud Alexandri.*

Diuus

Digitized by Google

Diuus Pius, Claudio S.

PRo menſura cuiuſque delicti conſtituendum eſt, in eos qui apud iudices inſtrumenta protulerunt, quæ uera probare non poſsint: aut ſi plus eos meruiſſe uideatur, quàm ex forma iuriſdictionis pati poſſunt, ut Imperatori deſcribatur æſtimatio, quatenus coërceri debeat. Vale.

SCHOLION.

DIuus Marcus, cum Diuo fratre ſuo, pro ſua humanitate hanc rem temperauit: vt quod plerunque euenit, per errorem huiuſmodi inſtrumenta proferantur, ignoſcatur eis, qui tale quid protulerint. facit l. maiorem. & lex, ſi falſos. C. ad legem Corneliam de falſis.

Libri ſecundi finis.

Digitized by Google

EPISTOLA-
RVM IVRIS CIVI-
LIS LIBER VL-
TIMVS.

Seuerus, & Antoninus Decu-
rionibus S.

MINIMÈ AEQVVM eſt decuriones, ciuibus ſuis frumentum uiliùs, quàm annona exigit, uendere. Item, ius eſſe ordini, cuiuſq; ciuitatis pretium graui quod inuenitur ſtatuere. Etſi non ſolent hoc genus nũtiationis, mulieres exercere: quia tamen demõſtraturas ſe, ea, quæ ad utilitatem annonæ pertinent, pollicentur: præfectũ annonæ docere poſſunt. Val.

SCHOLION.

OBſerua, vltimum quod de mulieribus dicit eſſe ſpeciale, vt etiam in l. mulierem.

Dig

Digeſt.de accuſationibus, *apertè* Martianus *oſtendit dicens*: Mulierē propter publicā utilitatem ad annonam pertinentem, audiri à præfecto annonæ deferentem reſcriptis continetur. *Quod etiam probatur conſtitutione Imperatoris poſita in l.de crimine.C.qui accuſare non poſ.*

Artaxerxes Rex *magnus*, *centum viginti-ſeptem prouinciarum ab* India *ad* Aetyopiam *vſq;*, *principibus*, *imperioq; ſuo ſubiectis præſidibus* S.

CVm dominio multarum gentium, & totius orbis imperio potitus eſſem, non putaui faciendum temerè, ut me efferrem potentia: ſed ut clementiùs & mitiùs eos, qui mihi ſubiecti ſunt uſq; tractando, in tranquillam per omnia uitam collocarem, regnumq; mihi redderem ad extimos uſque fines, quietum ac

Digitized by Google

peruium,& exoptatam omnibus hominibus pacem renouarem. Cæterùm ſuper hoc,cum conſiliariis cõſultante me, quomodo res perficeretur: uir apud nos ſapientia præcellentiſsimus,deinde conſtanti beneuolentia,firmaq́; fide probatiſsimus, & honorem regni ſecundum adeptus Amã nobis indicauit,omnibus per orbem nationibus permiſtum eſſe populum quendam inimicum, legibus omni genti contrarium,& aſsiduum regiorum edictorum contemptorem, ut iam cõſtitutum à nobis imperium non poſsit inoffenſum obtinere. Perpenſum igitur unicam hanc gentem, per omnia in eo eſſe poſitam,ut ſummè refragetur hominibus, inſtituto legum peregrino differre, à noſtris diſsidere rationibus, malaq́; maxima deſignare, quò minùs regum conſequatur ſtabilitatem: præcipiendum putauimus,ut quicunq; ſcriptis Aman, qui rerum adminiſtrationi præfectus eſt,& à nobis ſecundus, ſignifica

ficati uobis fuerint, unà cum uxoribus, & liberis omnes hoſtilibus gladiis, citra ullam miſericordiam, & ueniam extirpentur radicitus: idq; die menſis duodecimi Adar anni præſentis decimaquarta: ut iampridem & etiamnum inimici uioléter demiſsi ad inferos, in poſterum quietas, & tranquillas nobis res exhibeant. Valete.

SCHOLION.

HAc epiſtola, veri & optimi Principis in ſubditos officiũ apertè docetur. Quàm, etſi ex corpore iuris ciuilis non ſit excerpta, quæ fuit mei inſtituti ratio, hîc tamen adſcribendam curaui. Eò potiſsimum, quòd legis articulum enodet: quod enim, & breuiſsimè, & politè Iuriſconſulti ſcripſerunt, hac eadem epiſtola prolixius continetur. Ad quod videtur pertinere, quæ Iuſtinianus ſcribit in principio procemij Inſtitutionum, & in l. prima. C. de veteri iure enucleãdo: quibus locis, & non-

nullis alijs, vera principis optimi officia explicantur: vt ſcilicet malos gladio puniat, & in republica viuere inter bonos amplius nō ſinat: bonos autem tranquillitate donet.

Rex *magnus* Artaxerxes *ab* India *ad* Aetio*piam uſque, præfectis centum uiginti-ſeptem prouinciarum, & præcepto noſtro parentibus* S.

MVlti crebra benignitate beneficorum hominū ſæpius ornati, cùm ſupra modum elati non ſolùm iis, qui nobis ſubiecti ſunt, malum nobis dare nitantur, ut qui lætam copiam moderatè ferre nequeant: cumq́ bene de ſe meritis moliantur inſidias, neque gratitudinem ſolùm ex hominum uita tollant: ſed etiam, quaſi, qui beneficio nullo ſint affecti, faſtu tumeant, tamen inſpectoris omnium DEI ultrices malorum pœnas ſemper ſe credūt effugituros. Sæpe

au

autem, & multos quibus commiſſa poteſtas, & adminiſtrandæ res amicorum concreditæ fuerant, uana ſpes participes ſanguinis innocentis factos calamitatibus inuoluit immedicabilibus: dum ſimplici benignitate principum, mendacii peruerſitate frauduléter abutũtur. Hoc quod propoſuimus, non tam licet ex rerum ueterum monumentis intelligere: quàm ex iis quæ, ſi quæras, in pedes incurrunt, & à peſte indignè dominantium, impiè perpetrata ſunt. Quare prouidédum eſt in poſterum, ut mutationibus uſi, tranquillum reddamus regnum omnibus hominibus: & quæ incurrunt in oculos, leuiter obuiam eundo diſcutiamus. Ergo poſtquàm Aman Amadathu Macedo, reuera alienus à ſanguine perſico, multumq́ remotus à noſtra bonitate, uſus hoſpitio noſtro, humanitateq́ noſtra: quam omnibus gentibus præſtamus, adeò fretus, ut pater noſter appellaretur, & adoraretur ab omnibus,

ſecūdamq́ regii ſolii perſonam gereret: hanc excellentiam moderatè ferre non ualens, nobis principatum, & ſpiritum conatus eſt adimere. Eo quòd ſeruatorē noſtrum, & per omnia beneficū Mardocheum, inculpatamq́ regni noſtri ſociam Eſter, cum uniuerſa iſtorum gente multiplicibus fallaciarum uiis expetiuit ad interitum (nam his modis ſperabat, ubi nos deſertos oppreſsiſſet, ſe Perſarū imperiū ad Macedonas tranſlaturum) nos uerò Iudæos ab hoc peſtilentiſsimo nec deſtinatos, minimè maleficos eſſe comperimus: ſed iuſtiſsimis utentes legibus, ſummi, maximi, uiuique D E I, qui nobis, & maioribus noſtris regnum in pulcherrimum ſtatum redegit, filios eſſe: rectè ſane feceritis, ſi literis ab Amā Amadathu miſsis, non pareatis. Nam harum autor ipſe, ad Suſorum portas, cum omni familia cruci affixus eſt: quia D E V S omnipotens ſubitò dignas ei pœnas repēdit. Cæterùm huius epiſtolæ exem

exemplari in omni loco propoſitæ, Iudæos ſinatis liberè ſuis uti legibus, & adiuuetis eos: ut eos, qui inſidias ipſis tempore calamitoſo moliti ſunt, ulciſcantur: idq́ ipſa die duodecima mēſis Adar decimatertia. Siquidē hāc DEVS omnipotens in gaudiū conuertit ipſis pro generis electi internecione. Deinde uerò uos inſignē hāc diē feriis ueſtris illuſtribus celebrate cū ſumma lætitia: ut id & nūc, & in poſterū nobis, amicisq́ noſtris Perſis, ſalutis: inſidiatoribus autem noſtris, exitii ſit monumentum. Porrò ciuitas omnis, aut in uniuerſum regio, quæ ſecundum hæc ſe non geſſerit: ferro, ignique per indignationem deuaſtabitur: & non ſolùm hominibus inuia reddetur, ſed etiam feris, & uolucribus in tempus ſempiternum infeſta. Vale.

SCHOLION.

Ad eundem finē refertur hæc epiſtola, ad quē ſuperior relata eſt. Quamobrem eadem motus ratione, hîc eam adpoſui.

Had

Hadrianus, Sennio Sabino S.

AD tormenta ſeruorum ita demũ uenire oportet: cùm ſuſpectus eſt reus, & aliis argumentis ita probationi admouetur, ut ſola confeſsio ſeruorum deeſſe uideatur. Vale.

SCHOLION.

DIuus Auguſtus, non eſſe à tormentis incipiendum, conſtituit. Nunc hac in epiſtola non fidem adhibendam quæſtioni Hadrianus, referente Vlpiano, docet. Quod latius verba hæc explicant, Ait Vlpianus: Quæſtioni fidem non ſemper nec tamen nunquam habendam, conſtitutionibus declaratur. Etenim res eſt fragilis, & periculoſa, & quæ ueritatem fallat.

Diuus Hadrianus Calphurnino Celeriano S.

AGricola Pompeii Valentis ſeruus de ſe poteſt interrogari: etſi dum quæ

quæſtio habebitur, ampliùs dixerit, rei fuerit iudicium, non interrogantis culpa. Vale.

SCHOLION.

NEc huic epiſtolæ obſtat, vt tuum erit iudicium, eiuſdem Imperatoris reſcriptum, quo cautum eſt: Qui quæſtionem habiturus eſt, non debet ſpecialiter interrogare, an Lucius Titius homicidiũ fecerit: ſed generaliter, quis id fecerit. Alterum enim magis ſuggerentis, quàm requirentis videtur.

Diui fratres Voconio Saxæ S.

PRudẽter, & egregia ratione humanitatis, Saxa chariſsime, Primitium ſeruum, qui homicidium in ſe confingere motu ad dominum reuertendi ſuſpectus eſſet, perſeuerante falſa demonſtratione damnaſti, quæſiturus de conſciis,

quos

quos æquè habere ſe commentus fuerat; ut ad certiorem ipſius de ſe confeſsionẽ perueniret. Nec fruſtra fuit tam prudẽs conſilium tuum, cùm in tormentis conſtiterit, neque illos ei conſcios fuiſſe, & ipſum de ſe temere commentum. Potes itaq; decreti gratiam facere, & eum per officium diſtrahi iubere, conditione addita, ut ne unquam in poteſtatem domini reuertatur: quem pretio accepto, certum habemus libenter tali ſeruo cariturum. Vale.

SCHOLION.

HAc epiſtola, interprete Vlpiano, continetur, liberandum eum, qui in ſe fuerat confeſſus, cuius poſt damnationem, de innocentia conſtitiſſet. Item ſignificatur, quòd ſi ſeruus damnatus, fuiſſet reſtitutus, ad eum pertineret, cuius fuiſſet, antequam damnaretur. Sed præſes prouinciæ, eum, quem damnauit reſtituere non poteſt: cùm nec pecuniariam

riam ſententiam ſuam reuocare poſsit. Quid igitur: Principi cum ſcribere oportet, ſi quando ei, eius, qui nocens videbatur, poſtea ratio innocentiæ conſtiterit. Ex quibus verbis vltimis notare licet, nonnulla licere principi, quæ alijs agere ſunt prohibita. Ad quod faciunt l. adoptio, de adoptio. l. itaque de fideicom. liber. l. ij. §. fi. ſi quis ingenuus eſſe dicatur.

Imperatores Seuerus & Antoninus A A. Septimio Zenoni S.

PRo infante filio, quem decurionem eſſe uoluiſti, quanquam fidem tuam in poſterum adſtrinxeris; tamẽ interim onera ſubſtinere non cogeris. Cùm ad ea quæ mandari poſſunt, uoluntatẽ dediſſe uidearis. Vale.

SCHOLION.

H*Vius epiſtolæ occaſione, conſtituit Vlpianus in hæc verba, in l. ij.* Dig. ad *Municipalem.* Quoties filiusfamiliâs uoluntate patris Decurio creatur: uniuerſis

mu

muneribus, quæ decurioni filio iniunguntur, obſtrictus eſt pater, quaſi fideiuſſos pro filio. *Quod in filio emancipato ſecus eſſe conſtituerunt Auguſti Seuerus & Antoninus in l. prima. C. de filijs familiâs, & quemadmodum pro his pater teneatur, quorum verba hæc ſunt:* Patrem, emancipato filio, conſentientem ad decurionatum, non teneri, dubii iuris nō eſt: tunc enim conſentiendo pater ad decurionatum, obligatur, ſi filium in poteſtate habeat. *Hæc interpretationem recipiunt à Papiniano in l. fi. §. patris qui conſultò. Dig. ad municipalem: tunc ſcilicet teneri patrem ſi conſultò filium emancipauerit. Quando autem pater dicatur conſenſiſſe docet l. ij. Dig. ad municipalem, quando præſens nominationi non contradicit. Aut, vt ait l. prima. præalle. in fi. quando non teſtificatur diſſentire nominationi.*

Iidem A A. *Magiſtratibus Municipalibus* S.

HVmanum eſt reliquorum uſuras, neque ab ipſo, qui ex adminiſtratione

tione honoris relinquatur, neque à fide-iuſſore eius: & multò minùs à magiſtratibus, qui cautionem acceperunt, exigi. Cui conſequens, ut ne in futurum à forma obſeruata diſcedatur. Valete.

SCHOLION.

Hinc Scæuola: pecuniæ, quæ ex detrimẽto ſoluitur, vſuræ non præſtentur. Ad *quod facere videtur* Alexandri *reſcriptum in l.v.C.de priuileg.fiſci.*

Diui fratres, Rutilio *Lup.* S.

Conſtitutio qua cautum eſt, prout quiſq; decurio creatus eſt, ut ita magiſtratũ adipiſcatur: toties ſeruari, quoties idoneos, & ſufficientes omnes eſſe contingit. Cæterùm ſi ita quidã tenues, & exhauſti ſunt, ut non modò publicis honoribus pares non ſint: ſed etiam uix de ſuo uictum ſubſtinere poſsint, & mi-

i

nus utile, & nequaquam honeſtum eſt talibus mandari magiſtratum: præſertim cùm ſint, qui cóuenienter rei, & ſuæ fortunæ, & ſplendori publico poſsint creari. Sciant igitur locupletiores, non ſe hoc prætextu legis uti: & de tempore quo quiſque in curiam adiectus ſit, inter eos demum eſſe quærendum, qui pro ſubſtantia ſua capiant honoris dignitatem. Vale.

SCHOLION.

Hvic epiſtolæ ſimile eſt quod Vlpianus conſtituit in l.ix. Dig. *de muneribus & honoribus.* Itē *quæ* Iuſtinianus *ſcribit in principio nouellæ, de defenſo. ciuitatum.* Quam *ita interpretantur* Doctores, *vt decurio debeat ſubire magiſtratum, ſi idoneis eſſet facultatibus.*

Imperator Seuerus Auguſtus, Pa*tri cuidam* S.

Si in

SI in numero plebeiorum filius tuus eſt, quanquam inuitus honores ex perſona filii ſuſcipere cogi non debeas: tamen reſiſtere quominùs patriæ obſequatur, periculo eius, qui nominauerit, iure patriæ poteſtatis non potes. Vale.

SCHOLION.

HVius reſcripti occaſione Calliſtratus conſtituit plebeios filioſfamiliâs periculo eius, qui nominauerit teneri ſcilicet, ſubire munus: & niſi ſit ſoluendo, nominans reipublicæ tenebitur, quod cautum etiã à Iuſtiniano in hæc verba, eſt: Sine periculo tuo, *ò pater ſupple*, magiſtratus filium tuum curatorem conſtituit, nec appellandi tibi neceſsitas incumbebat. Sanè nominator, qui filium in poteſtate poſitum, nó conſentiente patre ad munus deuocauit, ſi tamen ex uoluntate tua antea filius decurio factus non erat, detrimento muneris obligabitur. *Hæc ſunt in l. fin.* C. *de filiiſ-*

familiâs. *Intelligas autem* Sine periculô, *nô corporis, ſed facultatum, & honoris.*

Alius pertinax, Saluio Candido S.

Εἰ καὶ μὴ πασῶν λειτουργιῶν τοὺς πατέρας ὁ τῶν τέκνων ἀριθμὸς ἀνεῖται. Ἀλλ' οὖν ἐπειδὴ ἑκκαίδεκα παῖδας ἔχειν διὰ τοῦ βιβλίου ἐδήλωσας. οὐκ ἔστιν ἄλογον, ὥστε συγχωρῆσαι σχολάζειν τῇ παιδοτροφίᾳ, καὶ ἀνεῖσθαι τῶν λειτουργιῶν. Χαῖρε. ὄιμωζε. *Id eſt,*

ETſi non ab omnibus muneribus liberorum numerus patri uacationẽ præſtat: tamen cùm ſedecim te liberos habere libello ſignificaueris: non contrarium rationi fuerit, ſi te liberorũ educationi incumbere potius ſinamus, ſoluamusq́ muneru̇m functione. Vale.

SCHOLION.

AIt *Calliſtratus*: Demonſtratur uariè nec abſcisè numerum liberorum, ad excuſationem munerum municipa

cipalium prodeſſe. *Et facit etiam ad hunc locum, quæ* Hermogenianus *ſcribit in l.ij.de vacatio.& excuſa.munc.*

Diui fratres, Præfecto Vrbis S.

Ἦσαν καὶ ἄλλοι τινὲς ἐπὶ προφάσει τῶν ναυκλήρων καὶ τὸν σῖτον
καὶ ἔλαιον ἐμπορευομένων εἰς τὴν ἀγορὰν τοῦ δήμου τοῦ
Ῥωμαϊκοῦ, ὄντων ἀτελῶν, ἀξιοῦντες τῆς λειτυργίας διαδι-
δράσκειν μήτε ἐπιπλέοντες, μήτε τὸ πλεὸν μέρος τῆς οὐσίας
ἐν ταῖς ναυκληρίαις καὶ ταῖς ἐμπορίαις ἔχοντες. ἀφῃρέθητο τῶν
τοιούτων ἡ ἀτέλεια. Χαῖρε. *Id eſt,*

CONati ſunt & alii prætextu nauiculariorum, eorumq́ꝫ, qui in forum populi Romani frumentum, & oleum conuehunt, qui immunitate perfruuntur, publicis ſe muneribus ſubtrahere: tametſi neque nauigent, neque maximam ſubſtantiæ partem in nauiculariam, aut mercaturam exercendam, contulerint. Adimatur itaque talibus immunitatis ius. Vale.

MOtus *diuorum fratrum reſcripto Calliſtratus* Ait: Licet in corpore nauiculariorum quis ſit, nauem tamen, uel naues non habeat, nec omnia ei congruant, quæ principalibus conſtitutionibus cauta ſunt, non poterit uti priuilegio nauiculariis indulto. *Quibus verbis idem cautum eſt, quod epiſtola* Diuorum *fratrum eſt traditũ. Quæ omnia vt rectè percipias, conſiderandũ eſt, quæ* Iuriſ*conſulti ſcriptum reliquerunt, in* Titu. De *iure immunitatis.* Nauicularios, *qui* Annonæ *vrbis ſeruiunt, immunitatem à muneribus publicis conſequi: quandiu in huiuſmodi actu ſunt.* Huic *autem immunitati, quæ nauicularijs præſtatur, certa forma data eſt: quam immunitatem ipſi dũtaxat habent non etiam liberis, aut libertis eorum præſtatur*. *Idque principalibus*: id eſt, principum *cõſtitutionibus declaratur.* *Hæc docentur à Scæuola in l. iij. de vacatio. & excuſatio. munerum.* Item *ab Imperatore in l. penul*

multi.C.de excuſa.tut.& l.prima.lib.x.C.de nauic.Quæ tamen doctrina ſemper in ſe vera nõ eſt. Siquidem in tutelis connauiculariorum non conſequuntur immunitatem, vt traditum eſt ab Imperatoribus Arca.& Hono.*in l.pen.* C.*de excuſa.tuto.Qua l.omnia iura de hac re tractantia declarantur. Quo loco ait textus:* Excuſationem nauiculariis tutelæ, ſiue curæ hactenus ipſis tribuimus, ut in huiuſmodi officiis minoribus tantùm corporis obligentur. *Ad quod facit l.ij.*C.*de excuſatio.vete.& l.non tantum.* §.*eos.*Dige. *de excuſa.tuto.*

Imperator Claudius Calixtus, filioſamiliâs cuidam S.

QVòd deſideras, ut propter legationem patris tui à legatione tu uacces: in interuallis honorum qui ſumptum habent, rectè obſeruatur. In ſtipẽdiis uerò legationum, quæ ſolo miniſterio obeuntur, diuerſa cauſa eſt. Vale.

SCHOLION.

HInc Vlpianus breuiter colligit, filio propter patrem legationis vacationem non concedi. Hanc autem vacationem biennij eſſe, traditum eſt ab imperatoribus: in primis in l. tertia. C. *de legatio. lib.* x. *Ait ibi Diocletianus:* Tranſmarina legatione apud nos perfunctos, conſtitutum eſt, biennii uacationem munerum ciuilium, & honorum habere: nō eos, qui obſequium reipublicæ uidentur exhibuiſſe. *Apertius iſta explicat* Gordianus *in l. ij.* C. *de munerib. & honoribus non continuandis inter patrem & filium, & de interuallis.*

Diui fratres Flauio *Celſo* S.

PRobè facit Stathius Ruffinus ſi opus Proſcennii quod ſe gabinis extructurum promiſit: quod tandem aggreſſus fuerat, perficiat. Nam etſi aduerſa fortuna uſus, in triennium à præfecto urbi

urbi relegatus eſſet: tamen gratiam muneris, quod ſponte obtulit, minuere nõ debet: cùm & abſens per amicum perficere opus iſtud poſsit. Quòd ſi detractat, actores conſtitui, qui legitimè pro ciuitate agere poſsint, nomine publico adire aduerſus eũ iudices poterunt. Qui cùm primùm potuerint, priuſquàm in exilium proficiſcatur, cognoſcent, etſi opus perfici ab eodem debere conſtituerit, obedire eum reipublicæ ob hãc cauſam iubebunt, aut prohibebunt diſtrahi fundum, quem in territorio Gabinorũ habet. Vale.

SCHOLION.

IN *breuem quandã epitomen, Vlpia. redegit hanc epiſtolã, dicens:* De pollicitationibus in ciuitate factis, iudicũ eſt cognitio.

Aquilius Regulus, *Nicoſtrato præceptori ſuo* S.

QVoniam & cum patre meo ſemper fuiſti, & me eloquentia & dili-

gentia tua meliorem reddidiſti, dono & permitto tibi habitare in illo cœnaculo, eoq́ꝫ uti. Vale.

SCHOLION.

DEfunƈto Regulo controuerſiam habitationis patiebatur Nicoſtratus: & de ea re Papinianus conſultus, dixit: poſſe defendi non meram donationem eſſe: verùm officiũ magiſtri quadam mercede remuneratum Regulum. Ideóque non videri donationem ſequẽtis temporis irritam eſſe. Quòd ſi expulſus Nicoſtratus veniat ad iudicem: ad exemplũ interdiƈti, quod fruƈtuario proponitur defendendus erit, quaſi loco poſſeſſoris conſtitutus, qui vſum cœnaculi accepit.

Ille, illi S.

HOſpitio illo quãdiu uolueris, utaris, in ſuperioribus diætis, & his omnibus gratuitò: idq́ꝫ te ex uoluntate

mea

mea facere, hac epiſtola notum tibi facio. Vale.

SCHOLION.

HAnc ita epiſtolam Lucius Titius ſcripſit: Ex *qua quæſitum eſt:* An *hæredes eius, habitationem prohibere poſſint?* Re*ſpondit Scæuola:* Hæ*redes eius poſſe mutare voluntatem, quod idem ſcriptum eſt in l. fundi.* §. *primo. de acquiren. poſſeſſio.*

Titius Patronus, Sticho liberto ſuo S.
Ex l. ad eum ultima ff de Con.

CVm te manumiſerim, peculium quoq; tuum omne quicquid habes tam in nominibus, quàm in rebus mouentibus, ſiue in numerato, me tibi concedere hac epiſtola manu mea ſcripta, notum tibi facio. Vale.

SCHOLION.

CV̀m Citius eundem libertum teſtamento ex beſſe ſcripſiſſet hæredẽ. Sempro-

nium

nium verò ex triente: nec peculium Sticho legaſſet, nec actiones præſtari iuſſiſſet. Quæſitum fuit: Vtrum in aſſem Sticho actio detur eorundem nominum, quæ in peculio habuit: an vtriſque hæredibus, pro portionibus hæreditarijs: Reſpondit *Scæuola, vtriſq; hæredibus pro hæreditarijs portionibus competere.* Rationem *reddit* Accurſius: *Quia per talem epiſtolam, nihil fuit quæſitum liberto in nominibus. Siquidem huius mandatum per epiſtolam morte finitur. l. ſi* Sticho. *Dig. de pecu. & l. ſi quidem.* C. *de oblig. & actio.*

Ariſto, Neratiano Appiano S.

TEſtamento liber eſſe iuſſus, cùm annorum triginta eſſet, antequam ad eam ætatem perueniret, in metallum damnatus ſit. Ac poſtea reuocetur: ſine dubitatione cum libertate legatum ad eum pertinere, neq; metallorũ pœna ius eius mutari: nec aliud ſi hæres eſſet ſub conditione inſtitutus: futurũ enim eum etiam neceſſarium. Vale.

SCHO

Digitized by Google

SCHOLION.

Hic docetur, metallornm pœnam ei qui fuit reſtitutus à Principe, ius eius non mutare. Ideo *ſi teſtamento & libertas data, & legatum aliquod relictum erit, poſtquàm reuocatus erit, ad eum id omne pertinebit: vt in §. in extraneis. in* Inſtitu. *de hære. qual. & diffe. l. prima.* C. *qui non poſſ.*

Imperatores Seuerus, & Antoninus, Frontoni S.

Teſtamento militis his uerbis ſcripta libertate, *Stephanum ſeruum meum, liberum eſſe volo, vel iubeo.* Adita hæreditate libertas competit: & ideo ea, quæ poſtea adiecta ſunt. Sic tamen, *vt cum hærede meo ſit: quouſq; iuuenis ſit*: quod ſi noluerit aut cõtempſerit, iure ſeruitutis teneatur, ad reuocandã libertatem, quæ cõpetit, non ſunt efficacia. Idem in paganorum teſtamentis obſeruatur. Vale.

HAec verba: Sic tamen. *Adiecta eſſe ex interuallo putat* Accurſius, *& non incontinenti.* Ideo *ſeruum Stephanum non teneri ad ſeruiendū.per l.perfecta. C.de donationibus quæ ſub modo. Cæterùm ſi incontinenti adiecta fuiſſent: licet quidem non differretur libertas: attamen ſeruire cogeretur: id eſt, cum hærede cogeretur morari, quouſq; iuuenis eſſet, vt cautum eſt in l.libertas. s. ſecundo.* Digeſt. *de manumiſſis teſtamento. quo loco oſtenditur,* Dictiones *ita vt, aut ſic vt, modum inducere, non obligationem: ita vt quis cogatur ad modum implendum, facit l.* M*æuia. illo* Tit.

Lucius Titius hæredibus primis, & ſubſtitutis S.

PEto, ut ea quæ teſtamento caui, legaui, & ea quæ codicillis cauero, legauero, præſtetis. Valete.

SCHO

HIc quæſitum eſt, cum Lucio Titio teſtatori liberi nati non ſint, an Sticho, & Pamphilo, & Eroti, & Diphilo ſeruis confeſtim fideicommiſſaria libertas præſtari debeat. Reſpondit Marcellus: Conditionē, quæ libertati eorū de quibus quæreretur, ſi filij hæredes extitiſſent, appoſita eſſet, repetitam non videri: ideoq; confeſtim libertatem præſtandam eſſe, & à primis, & à ſubſtitutis hæredibus. Nam petijt in teſtamento (quod ſtatim ſubijciemus) vt quæ teſtamento cauiſſet, præſtarentur. Cauit autem de libertate eorum ſeruorum. At qui ſub conditione cauit: etſi alterius generis conditio eſſet, expectanda eſſet. Sed non eſt veriſimile, vt hoc in iſta conditione cogitauerit: cùm fidei ſubſtitutorum committeret: qui admitti ad hæreditatem non poſſent, ſi adimpleretur conditio. Vt autem hæc omnia apertius intelligantur, qualiter condiderit teſtamentum Titius, obſeruandum eſt. Qui in eo cauerat: Si quos codicillos reli-

que

quero, valere volo. Si quis mihi ex Pamphila, quæ vxor mea fuit, intra decem menſes, natus natáve erit: ex ſemiſſe hæres eſto. Caius Seius ex ſemiſſe hæres eſto. Stichum & Pamphilũ ſeruos meos, & Erotem, & Diphilũ peto, & fidei hæredum committo: vt, cùm ad pubertatem liberi mei peruenerint, manumittant. Deinde nouiſſima parte ita cauit: Quòd ſi mihi liberi nati non erunt, aut intra pubertatem deceſſerint, tunc hæredes ex paribus partibus ſunto Mutius, & Mæuius. Legata, quæ priore teſtamento, quo filios, & Seium hæredes inſtitui, reliqui: præſtari volo hæc, & à ſequẽtibus hæredibus. Deinde in codicillis epiſtola ſuprà poſita in illum modum cauit.

Licinius Ruffinus, Iulio Paulo S.

IS cui fideicommiſſaria libertas debebatur, poſt uiceſimum annum ſe uenire paſſus eſt. Quæro an denegandum ſit ei, ad libertatem proclamare: Mouet me exemplum cuiuſuis liberi hominis.

Nam

Nam etſi cùm conſecutus eſſet libertatẽ, ſe uendidiſſet, denegaretur ei ad libertatem proclamare: neque debet meliori intelligi, qui in ſeruitute conſtitutus, paſſus eſt ſe uenundari, quàm ſi eſſet libertatem conſecutus. Sed econtrà mouet me, quòd in eo, de quo quæritur, uenditio conſiſtit, & eſt. Vale.

Imp. Verus, & Antoninus Caſsio Feſto S.

RES priuatorum, ſi in ædem ſacrãm depoſitæ, ſurreptæ fuerint: furti actio, non ſacrilegi eſt. Vale.

SCHOLION.

EXplicat Vlpianus, ſacrilegum pœna qualiter ſit ſtatuenda, inquiens: Sacrilegii pœnam debebit proconſul pro qualitate perſonæ, proq́ rei conditione, & temporis, & ætatis, & ſexus uel ſeueriùs,

uel clementius ſtatuere. Et Scio multos etiam ad beſtias dānaſſe ſacrilegos: nonnullos etiam uiuos exuſsiſſe: Alios uerò in furcas ſuſpendiſſe. *Aduerte tamen circa verba epiſtolæ, ne exiſtimes ſacrilegij actionem non cōpetere.* Nam, *vt Accurſius etiam exponit, vtraque eſt actio & furti, & ſacrilegij l. aut facta. §. locus.* Dig. *de pœnis.* Ideo *cùm textus dicit, ſacrilegij actionem non eſſe: intelligas actionem ſacrilegij non tantùm competere. Sed etiam ſuppleas, furti actio eſt: ſimile in l. poßideri. §. ſi rem. de acquirē. poſ. & l. ſi is.* Dig. *de furt. l. ij.* C. *de abolitionibus. Sacrilegi autem ſunt, autore* Paulo *in l. ix. ad legem Iuliā, peculatus, qui publica ſacra cōpilauerunt.*

Diuus Hadrianus, *Præfecto prætorio* S.

SEruos alienos, qui ſolicitauerit, aut interceperit: crimine plagii, quod illi intenditur, teneatur: necne, facti quæſtio eſt: & ideo nō me conſuli de ea re oportet:

tet: Sed quod ueriſsimum in re præſenti cognoſcitur, ſequi iudicẽ oportet. Planè ſcire debet poſſe aliquem furti crimine ob ſeruos alienos interceptos teneri, nec idcirco tamẽ ſtatim plagiariũ eſſe exiſtimari. Apud quẽ autẽ unus aut alter fuerit fugitiuus inuẽtus, qui operas ſuas locauerit, ut paſceretur, utique ſi idem antea apud alios opus fecerit, hunc ſuppreſſorem non iure quis dixerit. Vale.

SCHOLION.

EX *hac colligi* *Calliſtratus putat*: Non *ſtatim eum plagiarium eſſe, qui furti crimine ob ſeruos alienos interceptos tenetur.*

Diuus Hadrianus, F*lauio* C*aro proconſuli* C*retæ* S.

TVtor qui pupilli cauſſa, inſtituerat, accuſationẽ defuncto pupillo, cuius cauſſa accuſare cœperat, non eſt cogendus accuſationem implere. Vale.

Cauſa pupilli, *Rectè cauſa non nomine. Nam non poteſt id agere, vt cautum eſt in l.ij.C.qui accuſa.non poſſunt.* Et *de hoc articulo, an tutores nomine pupilli accuſare poſſunt, vide ibi amplè per* Doctores.

Imperatores Seuerus & Antoninus Augusti Iulio Seuero S.

CVm ſatis diu litem traxiſſe diceretur: inuito aduerſario non poſſe eum abolitionem accipere. Niſi euidenter probetur conſentire aduerſarium, abolitionem non dari. Cùm autem in crimine capitali abolitionem ut in re pecuniaria petitam eſſe diceretur, inſtaurandam nihilominus cognitionem, etſi non probaſſet hoc quod proponeret, non impunè eum laturum. Vale.

SCHOLION.

HAc in epiſtola, de impetratione abolitionis tractatur. Vbi animaduertẽdum eſt abolitionem finiri ita: Abolitio *eſt* accuſationis inſtitutæ per ſententiam interlocutoriã peremptio. *Deinde etiam obſeruandum tres abolitionis eſſe ſpecies. Aut enim publica, aut ex lege, aut priuata. De priuata hoc loco agitur. Quæ aut à principe, aut à præſide impetratur .l.abolitio. Dig. ad ſenatuſconſul. turpil. Toto tit. C. de abolitionibus, & præcipuè lex fallaciter. in §. quando autem.*

Diuus Hadrianus, Aquilio Braduæ S.

PAnniculariæ cauſa, quemadmodũ intelligi debeat, ex ipſo nomine apparet. Non enim bona damnatorũ pannicularia ſignificari quis probè dixerit: nec ſi zonam circa ſe habuerit, protinus aliquis ſibi uẽdicare debebit. Sed nec ueſtem, qua is fuerit indutus, aut nũmulos

inueterales, quos uictus ſui cauſa, in promptu habuerit, aut leues annulos: id eſt, qui rem non excedunt aureorum quinque: alioquin ſi quis damnatus, in digito habuerit aut Sardonycha, aut aliam gẽmam magni pretii, uel ſi quod chirographum magnæ pecuniæ, in ſinu habuerit: nullo iure illud in pannicularia ratione tenebitur. Pannicularia igitur ſunt ea, quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit: ſpolia, quibus indutus eſt quis, cùm ad ſupplicium deducitur: ut, & ipſa appellatio oſtendit. Itaque neq; ſpiculatores ultro ſibi uendicent, neque optiones ea ſibi deſiderent, quibus ſpoliatur, quo momento quis eſt punitus. Hanc rationem, non in compendium ſuum debent præſides uertere: ſed nec pati optiones, ſiue commentarienſes ea pecunia abuti. Sed debent ad ea ſeruari, quæ iure præſidum ſolẽt erogari, utputa, carciaticum quibuſdam officialibus inde ſubſcribere: uel ſi quid fortiter fece-

rint

rint milites, inde eis donare. Barbaros etiã inde munerari uenientes ad ſe, uel legationis uel alterius rei cauſa. Plerũq; etiam inde corraſas pecunias præſides ad fiſcum tranſmiſerunt: quod perquàm nimiæ diligẽtiæ eſt: cùm ſufficiat, ſi quis nõ in uſus proprios uerterit, ſed ad utilitatem officii patiatur deſeruire. Vale.

SCHOLION.

SAepe traditum eſt, bona eius, qui aliqua pœna atroci damnatus eſt, ad fiſcum pertinere: ſed panniculária non confiſcantur. Quamobrem hîc nunc docetur, quæ panniculária ſint.

Diuus Pius, *Metellio* S.

CAuſam tuam aliis probationibus inſtruere debes: nam de ſeruis quæſtio haberi non debet. Cùm poſſeſſor hæreditatis, qui petitori ſatiſdedit, interim domini loco habetur. Vale.

SCHOLION.

EVm qui vendicanti ſeruum cauit, domini loco habendum, & ideo in caput ſerui eius, ſeruo torqueri non poſſe, illa epiſtola ſatis docetur. Quod ſimiliter tradidit Arcadius in l. de minore. Dig. de quæſtio.

Idem, metellio S.

FAuorabilem apud me cauſam liberorum Albini, filiorum numerus facit: cùm ampliari imperiũ hominum adiectione potius, quàm pecuniarũ copia malim. Ideoq́ illis paterna ſua conpcedi uolo: quæ manifeſtabunt tot poſſeſſores, etiam ſi acceperint uniuerſa. Præterea ex iis, quæ per flagitium damnatus acquiſiuit, portiones liberorum non augẽtur: ueluti, ſi cognatũ ſuum interim curauerit, & eius hæreditatem adierit, uel ſi bonorum poſſeſsionem acceperit. Cùm autem filiafamiliâs ueneno ne-

caſſe

caſſe cõuinceretur eum à quo hæres inſtitutá erat, quàmuis iuſſu patris, cuius in poteſtate eſſet. Vale.

SCHOLION.

AIt *Paulus*: Si quis plures liberos dánatus habeat, feruntur exempla, per quæ pluribus liberis omnia bona damnati conceſſa ſunt.

Diuus Traianus, *Aufidio Secundo* S.

SCio relegatorum bona, auaritia ſuperiorum temporum fiſco uindicata: ſed aliud clementiæ meæ conuenit. Qui inter cætera, quibus innocentiam rationum meorum temporum tueor, hoc quoque remiſi exemplum. Vale.

SCHOLION.

SCopus iſtius eò pertinet: An bona relegatorum fiſco darentur? Cui quæſtioni ſe-

cundum temporum varietatem, variè ſatisfit. Ante Traianũ enim vindicabantur fiſco. Sed poſt Traianũ nõ confiſcantur. Intellige de relegatis ad tẽpus, vt in l. relegatorũ. §. ad tempus. Dig. de interdictis. Item in l. relegati illo Tit.

Diui *fratres, Litiganti cuidam* S.

CVm per errorem factũ eſſe dicas, ut à iudice, quem ex reſcripto noſtro, ab ampliſsimis conſulibus acceperas, ad Iunium fauſtinum amicum noſtrum præfectum urbis prouocaris: conſules ampliſsimi perinde cognoſcant, atq; ſi ad ipſos facta eſſet prouocatio. Si quis ergo, uel parem, uel maiorem iudicem appellauerit: alium tamen pro alio, in ea cauſa eſt, ut error ei non noceat, ſed ſi minor eſt, nocebit. Vale.

SCHOLION.

EX hoc loco ſatis oſtenditur, an error appellationi obſit, & quando. Quod facilius explicat Vlpianus. Si quis (inquit) in appel

lati

latione errauerit: vt puta, cùm alium appellare deberet, alium appellauerit: videndum eſt, an error ei nihil obſuerit. Et ſi quidē cùm maiorem iudicē appellare deberet, ita errauerit, vt minorē iudicē prouocauerit, error ei nocebit: ſi verò maiorē iudicē prouocauerit, error nihil oberit: & ita multis conſtitutionibus continetur. Denique cùm quidam iudicem ex reſcripto principis à conſulibus accepiſſet, & præfectum vrbis appellaſſet, errori eius hac epiſto. Diuorum fratrum ſubuentum eſt.

Idem Domitio S.

QVod abſente poſſeſſore, nec quoquā nomine eius reſpondere pronuntiatum eſt, non habet rei iudicatæ autoritatem, niſi aduerſus eum ſolum, qui adeſſe neglexerit. Quare iis, qui teſtamento libertates, uel legata, uel fideicommiſſa acceperunt: ſaluæ ſunt actiones, ſi quas habuerint, perinde acſi nihil eſſet iudicatum. Ideoq; aduerſus eū, qui uicit permittimus eis agere. Vale.

SCHO

SCHOLION.

HAc epiſtola continetur. Quoties hærede non reſpondente, ſecundùm aduerſarium ſententia datur, nihil nocere neque legatis, neque libertatibus quod idem traditum eſt in l. ſi ſeruus plurium. de leg. primo.

Αὐτοκράτωρ Ἀλέξανδρος τῷ κοινῷ τῶν ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων χαίρειν.

Ἐκκαλεῖσθαι μὲν πῶς ἄν τις κωλύοιτο ἀπὸ τῶν δικαζόντων οὐχ' ὁρῶ, ὁπότε ἔξεστι τὴν ἑτέραν ὁδὸν παρεπόμενον ταυτὸ ποιεῖν, καὶ τάχιον πρὸς μὲ ἀφικνεῖσθαι ὕβρει δὲ καὶ βίᾳ χρῆσθαι πρὸς τοὺς ἐκκαλουμένους καὶ φρουρὰν στρατιωτικὴν περιϊστάναι καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀποκρατεῖν αὐτοῖς τὴν δεῦρο ἄνοδον, ἀπαγορεύομεν τοῖς ἐπιτρόποις καὶ τοῖς ἡγουμένοις, τῶν ἐθνῶν. καὶ πεισθήσονται ταύτῃ μου τῇ προρρήσει, εἰδότες ὅτι τούτων μοι μέλει τῆς τῶν ἀρχομένων ἐλευθερίας, ὅσον καὶ τῆς εὐνοίας αὐτῶν καὶ πειθοῦς. Χαίρετε. *Id eſt.*

Imperator Alexander vniuerſitati Græcorum in Bithynia S.

QVanquam non uideo, quo pacto iudices prohibere poſsint, quo minùs quis prouocet, cùm aliam uiam capeſ

peſſenti idem officere, celeriusq́; ad me peruenire liceat: ne tamen iniuria, aut ui aduerſus prouocantes utantur, cuſtodiaq́; militari eos circunſiſtant, & (ut ſimpliciter dicam) aditum illis ad nos obſtruāt, curatoribusq́;, principibusq́; gentium prohibemus: obedientq́; huic meæ promulgationi, ſcientes nō magis mihi illorum beneuolentiam obedientiamq́; curæ eſſe, quàm ſubditorum liberta-tem. Valete.

SCHOLION.

DE hac epiſtola, tale protulit iudicium Accurſius: quòd arbitratus fuerit, non eſſe legendam: eò quia nullius vtilitatis eſſe duxerit. Eò puto id illum dixiſſe, quòd græcarum literarum ignarus fuiſſet. Nam ſatis amplam vtilitatem habet. Siquidem prouocantium viam & ius tuetur: certum tamen eſt ex ijs quæ Vlpianus ſcribit in l. prima, de appellatio. Appellandi vſum, ſatis veterem & frequen

quen

quentem, neceſſariumq́ue quippe cùm iniquitatem, vel imperitiam iudicantium corrigat.

Diui *fratres*, Longino S.

SI tibi, qui appellauit, mandauit, ut eum de appellatione, quam Polla ad eum fecit, defenderes: & res pecuniaria eſt, nihil prohibet nomine eius te iuſtè reſpondere. Sin autẽ non ſit pecuniaria cauſa, ſed capitalis, per procuratorem agi. Sed etſi in ea cauſa ſit, ex qua ſequi ſolet pœna uſque ad relegationem: non oportet per alium cauſas agi, ſed ipſum adeſſe auditorio debere ſciendum eſt. Planè ſi pecuniaria cauſa eſt, ex qua ignominia ſequitur, poteſt & per procuratorem hoc agi. Idemq́ꝫ erit probandũ, & in ipſo accuſatore, ſi appellauerit, uel ſi aduerſus eum ſit appellatum. Et generaliter, quæ cauſa per alium agi non poteſt: eius nec appellationem per aliũ agi oportet. Vale.

SCHO

QVæri ſolebat, an per alium cauſæ appellationis reddi poſsint: quæ res in rebus pecuniarijs, & in criminibus agitari conſueuit. Et in rebus pecuniarijs ſunt & vltra hoc, alia reſcripta, quæ dicunt poſſe agi, vt l. furti. §. primo. Digeſt. de ijs qui notantur infamia.

Alexander, prætorio militi S.

QVamuis pendente appellatione, morte rei crimen extinctum ſit, data tamen etiam de parte bonorũ eius ſententia proponitur: aduerſus quam non aliter is, qui emolumentum ſucceſſionis habet, obtinere poteſt, quàm ſi in reddendis cauſis appellationis iniquitatem ſententiæ detraxerit. Tutor quoque in negotio pupilli appellatione interpoſita, ſi deceſſerit, hæredem eius cauſas interpoſitæ appellationis reddere, neceſ-

ceſſe eſt, etiam ſi rationes tutelæ hæres reddiderit: quia ſufficit mortis tempore, ad cauſas appellationis reddendas obligatum fuiſſe. Vale.

SCHOLION.

QVoniam ſæpe ſcriptum fuerat, appellatore mortuo, ſi quidem ſine hærede: cuiuſcunque generis appellatio fuerit, illa euaneſcere. Quòd ſi appellatori hæres extiterit: ſiquidem nullius alterius intereſt cauſas appellationis reddi, cogendus non eſt peragere appellationem. Quæ facilius illa epiſtola explicantur.

Diuus Pius, Cælio Anomanto S.

VAcantium bonorum nuntiationem quadriennio finiri: idq́ꝫ tempus ex die, quo certum eſſe cœperit, neqꝫ heredem, neque bonorum poſſeſſorem extare, computari oportere. Vale.

SCHO

Varias eſſe cauſas, ex quibus nuntiatio ad fiſcum fieri ſolet: ex Calliſtrato *in l. prima, de iure fiſci ſatis conſtat.* Q*uocunque tamen modo fiat, illam finiri debere quadriennio hoc* Diui Pii *continetur.* Q*uod idem ſcriptum eſt in l. quia. § item.* Dig. *ſi quis omiſ. cau. facit. l. ij.* Dige. *quis ordo in bono. poſſe. ſeruet.*

Diuus Hadrianus Flauio Arriano S.

QVin ei, qui inſtruméta ad cauſam fiſci pertinentia cùm poſsit exhibere, non exhibet, nocere debeat, ſi uerum aliter non inuenitur, & ea ſubtracta eſſe credantur, quæ nocitura cauſſæ eius fuerint: dubitandum non eſt. Sed nec aliâs dubitari oportet, quin non in aliam rem nocere debeát, quàm in eam, in quam deſiderata ſunt. Vale.

Digitized by Google

NOn tantum hac, ſed & alijs multis conſtitutionibus præceptum eſt: Ex *quibuſdam cauſis, delationes ſuſcipientium fama non lædi: veluti eorum, qui non præmij conſequendi, item eorum, qui vlciſcendi gratia aduerſarium ſuũ deferunt, vel quòd nomine reipublicæ ſuæ quis exequitur cauſam*. Ad quod *facit quæ ſcripta ſunt in l. fiſcus. in quæſtione, & l. delator*. Dige. de iure *fiſci*.

Iuſtinianus, Dominico *præfecto prætorio* S.

PRopter auaritiam creditorum, qui anguſtia temporum abutentes, terrulas infelicium agreſtium ſibi adquirunt, pro pauco frumento omnem illorum ſubſtantiam retinentes, legem poſuimus: quam primò quidem in Thraciam, & in omnes eius prouincias, in præſenti autem, & in Illyricianas prouin

uincias direximus.Cuius exemplũ ſubdi etiam præſenti legi præcipimus: ut non ſolummodo priuati homines putent legem cõtra ſe eſſe propoſitam: ſed etiam milites altiore nitentes faſtigio, legem contra ſe eſſe prolatam exiſtiment. Vt ergo & tua magnitudo ſciat,quòd communis hæc lex poſita eſt, & prouincialibus,& militibus,& omni cingulo, nulla excuſatione cuiquam competente: ideo ad tuam ſublimitatem præſentem legẽ deſtinauimus. Scituris militibus, qui præſenti legi non eſſe obediendũ exiſtimant,quòd cingulo denudati, inter priuatos habebuntur, pœnis, quas in anteriore lege poſuimus, priùs nihilominus ſubiugandi. Vale.

SCHOLION.

HAec epiſtola in fauorem agricolarum inducta, & in odium quorundam, qui ita ſunt peruerſi, vt pretio modico, omnem illorum mutuo dando ſubſtantiam cupiant re-

tinere & habere. Concilii autem mei rationem & cauſam, quòd hic pauculas Iuſtiniani epiſtolas tranſcripſerim, infrà docebo.

Diuus Hadrianus, Flauio Proculo S.

VAlde inhumanus mos eſt iſte, quo retinentur conductores uectigalium publicorum & agrorum, ſi tantidem locari non poſsint. Nam & faciliùs inueniuntur conductores, ſi ſciuerint fore, ut ſi peracto luſtro diſcedere uoluerint, non teneantur. Si poſteriori creditori fiſcus ſucceſſerit, eo iure utitur, quo is uſurus erat, cui ſucceſsit. Cùm autem in libertatem proclamat is, qui ex bonis ad fiſcum pertinẽtibus eſſe dicitur, iudicium dari præſentibus, & agentibus etiam iis, qui negotiis fiſci ſolent interuenire. Et huiuſmodi liberales cauſæ, ſi non interueniẽte fiſci aduocato deciſæ ſint, in integrũ reſtituũtur. Vale.

SCHO

SCHOLION.

VAria in hac epiſtola deciduntur: Impri*mis: Cùm quinquennium in quo quis pro publico conductore ſe obligauit, exceſſit: ſequentis temporis nomine non tenetur.* Finito *enim tempore locationis, vt* Bart. *ait, ipſe locationis contractus ſoluitur.* Deinde *ponuntur alij caſus, quibus oſtenditur fiſcum debitorẽ ſui debitoris, poſſe conuenire.*

Seia, Lucio Titio S.

SI eodem animo, & eadem affectione erga me es, qua ſemper fuiſti: ex continenti acceptis literis meis diſtracta re tua ueni: & tibi quandiu uiuam, præſtabo annos decem. Scio enim, quòd ualde me bene ames. Vale.

SCHOLION.

QVæſitũ eſt: Cùm & rem ſuam diſtraxerit Lucius Titius, *& ad eam profe-*

ctus ſit, & ex eo cùm ea ſit: an ei ex his epiſtolis ſalarium annuũ debeatur? Reſpondet Scæ*uola:* Ex *perſonis cauſiſq; cum, cuius notio ſit, æſtimaturum, an actio danda ſit.*

Lucius Titius, *Septitio* S.

SI petierit à te frater meus, peto, ei des nummos fide & periculo meo. De reliquis rebus, quæ inter nos aguntur, aliâs inter nos. Vale.

SCHOLION.

HAc *epiſtola* Titius *pro Seio fratre ſuo interuenit apud* Septitium: *qui epiſtola accepta,* Seio *pecuniã numerauit.* Deinde Ti*tius inter reliquos hæredes &* Seium *fratrem pro tertia parte reliquit hæredem. Quæſitũ nunc eſt, an quia aduerſus* Seium *debitorem* Septitij *confuſa ſit actio, pro tertia parte, qua* Titio *fratri ſuo hæres extitit, cum cohæredibus eius agere in ſolidũ poſſit.* Reſpondet Mar

cel

cellus, cum cohæredibus Seij, non pro maiore, quàm hæreditaria parte mandati agi poſſe.

Seuerus, & Antoninus Aſcle-
piadi S.

TV qui defenſione omiſſa, redimere ſententiam maluiſti: cùm tibi crimen obiiceretur, non immeritò quingentos ſolidos inferre fiſco iuſſus es. Omiſſa enim ipſius cauſſæ inquiſitione, ipſe te huic pœnæ ſubdidiſti. Obtinendum eſt enim, ut ii, quibus negotia fiſcalia mouētur, ad defenſionem cauſſæ bonafide ueniant: non aduerſarios aut iudices redimere tentent. Vale.

SCHOLION.

HIc pœna eius, qui delatorem pecunia corrumpit ſatis apertè explicatur: in quingentis enim ſolidis condemnari conſtat. Delatorem tamen non putes eſſe, vt Paulus etiam

ſcribit.l.xliiij.de iure fiſci, eum qui protegendæ cauſæ ſuæ gratia, aliquid ad fiſcum denuntiat.

Imperator Antoninus, Iulio Ruffo S.

QVi tacitam fidem accommodauit, ut non capienti reſtitueret hæreditaté: ſi deducta quarta parte reſtituerit, nihil retinere debet. Quadrans autem, qui hæredi imponitur, ipſi eripiatur, & ad fiſcum tranſferatur. Vnde dodrantis ſemiſſem ſolùm capit, qui ſe detulit. Vale.

SCHOLION.

HOc reſcripto deciditur illa quæſtio: Cùm tacitum fideicommiſſum, is cui datum erat, ſe capere nihil poſſe detuliſſet, in quæſtionem venit dodrantis: an totius aſsis partem dimidiam, ex beneficio Diui Traiani

reci

recipere debeat. De hoc diui Traiani beneficio habes in l.edicto.in princip. Dige.de iur.fiſci,& l.ſenatus.§. Senatus.illo Titulo.

Flauius Ianuarius, Papiniano S.

CVm Titius Caio Seio deberet ex cauſa fideicommiſsi certam quantitatem,& tantundem eidem ex alia cauſa,quæ peti quidem non poterat, ex ſolutione autem petitionem non præſtat. Titii ſeruus actor, abſente domino ſoluit eam ſummam,quæ ſufficeret ad quātitatem unius debiti: cautumq; eſt ei ſolutum ex uniuerſo debito. Quæro, id quod ſolutum eſt,in quam cauſſam acceptum eſſe uideatur? Vale.

Papinianus, Flauio, Ianuario S.

SI quidem Titio Seius ita cauiſſet, ut ſibi ſolutum ex uniuerſo credito ſignificaret,crediti appellatio ſolius fidei

Digitized by Google

commiſsi pecuniam de monſtrare uidetur, non eam pecuniam, quæ petitionem quidem non habet, ſoluti one autem facta, repeti pecunia non poteſt. Cùm uerò ſeruus Titii actor abſente domino pecuniā ſolueret, ne dominiū quidem nummorum in eam ſpeciē obligationis, quæ habuit auxiliū exceptionis, tranſlatum foret, ſi ex ea cauſa ſolutio facta proponeretur. Quia nō eſt uerisimile, dominium ad eam ſpeciē ſoluēdis pecuniis ſeruū præpoſuiſſe, quæ ſolui non debuerit: nō magis quàm ut nūmos peculiares ex cauſa fideiuſsionis, quàm ſeruus non ex utilitate peculii ſuſcepit, ſolueret. Vale.

SCHOLION.

Colligunt interpretes: Solutum ſimpliciter, videtur ſolutum in cauſam efficacem. Item, mandatū ad cauſam efficacem videtur directum.

Va

Valerius ſeruus Lucio Titio Domino S.

ACcepi, mihi domine, à Mario Marino, ex ſumma maiore tot aureos. Vale.

SCHOLION.

QVæſitum eſt: An hæc ſumma in proximum annum ei accepto ferri debeat, cùm ſuperioris anni ſit reliquator. Scæuola libro v. Reſponſorum reſpondet, videri in primam magis, quàm in ſupremam ſummam liberationem proficere. Facit ad hāc l. cùm ex pluribus. de ſolut. & l. in his, eodem tit.

Iuſtinianus, Triboniano Quæſtori S.

EX libris antiquis, qui iura Romani nominis continebant, non ignorat tua ſublimitas, quanta de mandatis principum

Digitized by Google

cipum legum latores in ſuo quoque uolumine conſcripſerint. Quia igitur nobis reparantibus omnem uetuſtatem iam deperditam ac deminutam, placuit etiam omnibus iudicibus noſtris, qui minores, uel medias adminiſtrationes gerunt, ſiue inter correctores, ſiue inter conſulares, ſiue inter ſpectabiles ordinẽtur, non ſolùm codicillos præſtare: ſed etiam mandata dare, quibus inſpectis, omnia gubernare laudabiliter poſsint. Ideo librum mandatorum compoſuimus, qui ſubter per utranque linguam annexus eſt, ut detur adminiſtratoribus noſtris ſecundum locorum qualitatem, in quibus Romana, uel Græca lingua frequentatur, ſcire eorum ſanctionẽ, ut nihil ex his audeat præterire: ſed ſaluberrimas diſpoſitiones noſtras obſeruantes in perpetuum, noſtras prouincias, noſtroq́; imperio ſubiectos gubernare feſtinẽt. Illuſtris igitur autoritas tua, ad quã quæſtoria pertinet cenſura, eadem mandat

data, & in libris legum trāſcribere & in ſacro laterculo deponi præcipiat, quatenus ex his unà cum codicillis ſuſcipiendis àdminiſtratores, quemadmodū poſſint reipublicæ ſubuenire, ignorēt. Vale.

SCHOLION.

HAc in epiſtola, autore Bartolo, *officium eorum, qui ciuitates adminiſtrant continetur.* Debent enim *manus ſeruare mundas, tributa fiſcalia vigilanter inſpicere, & exigere: & pacem ciuitatibus dare, & prorſus ſeditiones prohibere.* In *hunc locum, benignè lector, te admonere diſtulimus.* In *his cōficiēdis, nonnullas nos* Iuſtiniani *conſtitutiones tranſcripſiſſe, quæ vim epiſtolarum habent, non eo concilio egimus, quòd nullas alias* Iuſtinianum *feciſſe, quæ vim habeant, putemus.* Sed *cùm illæ non ſparſæ, imò verò iam in vnum locum ſcriptæ, quid opus fuit hîc omnes tranſcribere? Superuacaneus certè fuiſſet labor noſter: cùm, vt iam te monui, ea ſit noſtri concilij*

cilij

cilij præcipua ratio, vt his poſſes frui & vti, & tecum vnà cum alijs deambulando ferre: quibus aut negligentia, aut ignorantia carebas. Admonitum *præterea te volo, nos hîc non tantum vſos fuiſſe illa nota. ff. qua ſolent pandectæ hodie in ſcholis allegari: ſed etiam literam* D. *adpoſuimus.* Nam, *vt plerique admonuerunt, inter quos eſt* Balduinus, ex *illa litera* D. *profecta eſt illa nota. ff. corrupta tamen.* Id *quod* Gryphius ex *libro notarũ iuris ciuilis vetuſtiſſimo* Balduini *probauit.*

R*ogo te interim* Lector *optime, labores noſtros boni æquiq; cõſulas.* Q*uod ſi feceris, ad maiora animos noſtros incendes.*

FINIS LIBRI TERtii & ultimi epiſtolarum iuris Ciuilis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google